

Quum ante hos quinque annos Lignicii Quaestiones Quintilianicas scripsissem, sperabam fore ut, si denuo programmatis scribendi oblata esset occasio, id, quod in his inchoaveram, persecutus in fontes, quibus *Quintilianus* in libro de institutione oratoria conscribendo usus est, accuratius inquirerem. Etenim incipiendum esse ratus ab iis locis, quos scriptor laudavit, scilicet quos qua religione ac fide reddiderit, ipsi diiudicare possimus, haud raro eum liberius in hac re versatum esse demonstravi, in extrema dissertationis parte, quum quaererem, quid e libro *C. Iulii Victoris* de arte rhetorica in usum Quintiliani converti posset, haud paucos locos, qui ex hoc videbantur corrigendi esse, addidi. Sed quod tum optabam, nunc praestare nequeo, quum omne fere otium in operibus Quintiliani diligentius cognoscendis verbisque ad fidem optimorum librorum recensendis consumserim.

Ante omnia autem *codicem Turicensem* iterum conferendum esse censui, quem Spaldingius tanti aestimavit, ut quodammodo fundamentum editionis suae esse vellet. Atque gratia summi senatus res sacras et scholasticas administrantis mihi contigit, ut pretiosissimus ille liber in bibliotheca Turicensi repositus in complures menses mihi committeretur. Quem quum tractarem ipse, verissimum esse Sulzbergeri iudicium (in edit. Spald. vol. I. Praef. p. XLVII) cognovi. Namque admodum varia huius cod. est fides et quum plures libri satis accurate scripti sint, reliqui tanta vitiorum cuiusque generis copia redundant, ut, quod corrector in folio 232 et 233 supra textum adiecit: *Tam male scribenti quam denique desipienti Absque exemplari frustra cogar medicari* non possis non concedere. Librarium enim verba portentosa finxisse plurima, graecae autem linguae adeo fuisse imperitum, ut aegre litterarum formas depingeret, exemplis in quavis pagina, ne dicam quovis versu se offerentibus multis ostendere licet. Neque altera manus feliciter in hoc libro emendando versata est, quum ea quoque, quae recte mutata sunt, sine ulla ingenii sagacitate corrigi potuerint: nihilominus autem summa huic codici tribuenda est auctoritas, quippe cuius vitia ipsa librarium plane imperitum fuisse neque quidquam e suo ingenio consulto mutavisse demonstrent. Sed cavendum est, ne cuius litterae, quae in eo reperitur, iusto maiorem auctoritatem tribuamus, neque a gravioribus quoque mutationibus abhorrendum.

Cum hoc codex *Florentinus*, qui in bibliotheca Medicea Laurentiana (plut. 46, 7.) servatur, adeo consentit, ut non solum eundem utriusque esse fontem, sed etiam hunc ex illo descriptum esse suspicer. Fuerunt quidem, qui putarent hunc esse eum librum, quem Poggius in turre Sangallensi tempore concilii Constantiensis in epistola quadam ad Guarinum Veronensem data se invenisse narrat, in qua, postquam complura praefatus est, ita pergit: „Huius autem sermonis

ornandi atque excolendi cum multi praeclari, ut scis, fuerint Latinae Linguae auctores, tum vel praecipuus atque egregius M. Fabius Quintilianus, qui ita diserte, itaque absolute summa cum diligentia exequitur ea, quae pertinent ad instituendum perfectissimum oratorem, ut nihil ei vel ad summam doctrinam, vel singularem eloquentiam meo iudicio deesse videatur: quo uno solo, etiamsi Cicero Romanae parens eloquentiae deesset, perfectam consequeremur scientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italicos dico) ita laceratus erat, ita circumcisis, culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognosceretur. Tute hominem vidisti hactenus

lacerum crudeliter ora;

Ora manusque ambas populataque tempora, raptis

Auribus et truncas inhonesto vulnere nares.

Dolendum quippe erat et aegre ferendum, nos tantam in hominis tam eloquentis foeda laceratione iacturam oratoriae facultatis fecisse. Sed quo plus tunc erat doloris et molestiae ex eius viri mutilatione, eo magis nunc est congratulandum, cum sit in pristinum habitum ac dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem nostra diligentia restitutus. Nam si M. Tullius magnum prae se fert gaudium pro M. Marcello restituto ab exilio, et eo quidem tempore, quo Romae plures erant Marcelli similes, domi forisque egregii ac praestantes viri: quid nunc agere docti homines debent et praesertim studiosi eloquentiae, cum singularissimum lumen Romani nominis, quo extincto nihil praeter Ciceronem supererat, et cum modo simili lacerum ac dispersum non tantum ab exilio, sed ab ipso paene interitu revocaverimus? Nam me hereule! nisi nos auxilium tulissemus, necesse erat illum propediem interiturum. Nam neque est dubium virum splendidum, mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis foeditatem illius carceris, squalorem loci, custodum saevitiam diutius perpeti non potuisse. Moestus quidem ipse erat ac sordidatus, tanquam morti rei solebant; squalentem barbam gerens ac concretos pulvere crines: ut ipso vultu atque habitu fateretur ad immeritam sententiam se vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, ut se ab iniquo iudice tuerentur; postulare et indigne ferre, quod quondam sua ope, sua eloquentia multorum salutem conservasset, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem misereretur fortunarum suarum, neque qui suae consuleret saluti, aut ad iniustum rapi supplicium prohiberet. Sed quia temere persaepe eveniunt, quae non audeas optare, ut inquit Terentius noster, fortuna quaedam fuit cum sua, tum maxime nostra, ut cum essemus Constantiae otiosi, cupido incesseret visendi eius loci, quo ille reclusus tenebatur. Est autem monasterium S. Galli prope urbem hanc millia passuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi, et simul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus esse dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertissimam librorum copiam quos longum esset recensere *Quintilianum* reperimus, adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ, et pulvere squalentem. Erant enim non in Bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne vita quidem damnati detruderentur. Atqui ego pro certo existimo, si essent qui haec barbarorum ergastula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoscerent more maiorum, similem fortunam experturos in multis, de quibus iam est conclamatum. Reperimus praeterea libros tres primos et dimidiatum quarti *C. Valerii Flacci Argonauticon* et expositiones tanquam thema

quoddam super octo Ciceronis Orationibus et *Asconii Pediani*, eloquentissimi viri, de quibus ipse meminit Quintilianus. Haec mea manu transcripsi et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum et Nicolaum Florentinum [Addit Mabillon: qui cum a me huius thesauri adiunctionem cognovissent, multis a me verbis Quintilianum per suas literas quamprimum ad eos mitti contenderunt]. Habes, mi suavissime Guarine, quod ab homine tibi deditissimo ad praesens tribui potest. Vellem potuissem etiam librum transmittere; sed Leonardo nostro satisfaciendum fuit. Verum scis, quo sit in loco, ut si eum voles habere, puto autem te quamprimum velle, facile id consequi valeas. Vale et me, quoniam id mutuo fit, ama. Constantiae XVII. Kl. Ian. Anno Christi MCCCCXVII. Poggiana Amsterdam 1720. II. p. 313.

In hac igitur epistola lepidissima testatur ipse Poggius se illum codicem sua manu transcripsisse et quidem velociter, quibus verbis adiectis videtur indicare se in eo explicando vel emendando nullum tempus potuisse collocare: eodex ipse sine dubio eodem loco mansit, ubi inventus est a Poggio et ineunte saeculo XVIII. Turicum translatus est. Egregie igitur fallitur is, qui in folio quodam codici Florentino inserto haec notavit, quae manum huius saeculi producit: „*M. Fabii Quintiliani Institutiones Oratoriae. Libb. XII cum epistola ad Tryphonem et Prooemio. I titoli dei Libri tanto nel principio che al fine e gli argomenti dei Capitoli sono scritti in carattere rosso quadrato; ed anche le parole Greche sono scritte in carattere majuscolo. Questo è quel celebratissimo Codice di Quintiliano che fu ritrovato dal Poggio nella torre di S. Gallo 20 miglie lontano da Costanza e dal quale sono poi derivati tutti gli altri Codici interi di Quintiliano; mentre per l'avanti appena esisteva la metà delle di lui opere e questa stessa lacerata e male concia come afferisce il Poggio stesso nella sua Lettera ad Guarinum Veronensem in data de' 16. Dicembre 1417. Il Codice è membranico in foglio, scritto nel sec. XI a due colonne e benissimo conservato, di 185 pagg. di scrittura.*“ Longum est plura de hac re dicere, praesertim quum Spaldingius l. l. optime de ea disputaverit. Hoc enim plane mihi persuasi codicem Turicensem fontem esse huius Florentini ideoque multo maioris pretii. Invenisse autem mihi videor novum huius opinionis argumentum, quod, quum in libris ipsis positum sit, non parvam veri speciem habere iudico. Etenim, quum Turicensem conferrem, animadvertibam permulta menda inde orta esse, quod librarius, quum novum versum aut novam paginam inciperet, quae ultima antecedentis versus vel vox vel littera esset parum recordatus complura addidit vel omisit. Quid enim? si legimus ibi VIII, 5, 19. *clare|rescit*, nonne apertum est syllabam *re* additam esse incuria eius, qui in medio verbo novum incepit versum? An si III, 6, 47. invenimus *exhor|tivum* nonne syllabam *ta* ex eodem errore interciderit credemus? Similia plurima: V, 10, 92. *concesi|sisti* 12, 7. *ha|habent* 14, 14. *epicere|rema* VIII, 4, 93. *ue|ne* (a sec. m. recte *verumne*). Nullius sane negotii erat librario describenti leviora eiusmodi vitia animadvertere et corrigere (id quod in Turic. saepenumero a sec. m. factum est). Iam vero, si haec ipsa vitia, quae in Turicensi codice primo nata esse, antea autem non exstitisse manifestum est, in Florentino quoque inveniuntur, quis dubitabit mihi assentiri hunc ex illo fluxisse statuenti? Reperiuntur autem non pauca eiusmodi menda in utroque libro:

- III, 6, 53. *με|τασις* Turic. Flor. pr. m. Goth. Ambr. 2 pro *μετάστασις*.
— 8, 23. *feri|non posse* Turic. (in margine *omnino*) Flor. Ambr. 1. 2. Voss. 1. 3.

- III, 2, 69. *fecit de || thai sit cum* Turic. Flor. pro *fecit detrahi possit cum*.
 — — 89. *si continet | gerit* Turic. Flor. pr. m. pro *contigerit*.
 — — 106. *id quod in || itemque prohemio* Turic. pr. m. (sic!) Flor. pr. m. pro *idem quod in prohemio*.
 — — 128. *quae επιιδεις* Turic. επιθεεις Flor. pro επιδιήγηεις.
 V, 8, 1. *graminis | cantu* (om. *et Sirenum*) Turic. Flor. pr. m. Ambr. 1. pr. m. Alm. Camp.
 VI, 3, 59. *inquit | tamquam* Turic. Flor. cett. ubi verbum deest.
 VIII, 3, 2. *alterum genus maxime con | latione* Turic. Flor. (*collatione*) Alm. pro *collocatione*.
 — 4, 55. *vibratus | adicit* Turic. (*dicitur* sec. m.) Flor. Alm. pro *vibratura dicit*.
 — — 147. *numerum spondet flexisse non arcessisse || non accersisti* Turic. Flor. (secundo loco *non arcessisti*) pro *numeri sponte fluxisse, non arcessiti*. —

Poteram haec exempla augere, quamquam ea menda non ubique neque in omnibus libris e cod. Turicensi notavi, sed haec quoque ad id, quod volo, probandum sufficere puto. Neque tamen verisimile est cod. Florentinum eum esse, quem Poggius sua manu velociter se descripsisse narrat, quum et accurate depictus et saeculo undecimo scriptus esse dicatur. In Monasterio S. Galli meo quidem iudicio e codice eo, qui nunc in bibliotheca Turicensi servatur, transscriptus et posteriore tempore, fortasse Poggio auctore Florentiam translatus est. Quae quum ita sint, lectionibus, quae ex eo notantur, a Turic. discrepantibus plane nulla auctoritas tribuenda est. Quod ut pro certo affirmare possim, benignitate factum est viri doctissimi Hermanni Peteri, qui, quum ante duos annos in Italia versaretur a me rogatus quintum librum secundum hunc codicem diligentissime contulit: inde enim cognovi prorsus eadem Florentini atque Turicensis esse menda, paucissima incuria librarii mutata.

Egregiam esse fidem *codicis Bambergensis* docuit C. Halmius (Sitzungsberichte der bairischen Academie der Wissenschaften 1863. I, 4. p. 399 ff.). Magnopere doleo, quod hunc nondum mihi licuit inspicere: eo maiorem autem gratiam habeo Enderleinio, qui cum summa humanitate atque liberalitate integram suam cod. Bambergensis collationem mihi permisit.

Permulta adhuc sananda sunt, permulta denuo corrigenda et removenda, quae Zumptius et Bonnellius, optime de Quintiliano meritis, Ambrosiani 1. auctoritate commoti in textum receperunt. Ita autem saepissime fiet, ut ad eas lectiones, quae in veteribus editionibus inveniuntur, in recentioribus autem reiectae sunt, revertamur. Nam plurimae lectiones, quas ipse Halmius e Bamb. laudavit, non sunt novae, sed iam pridem receptae, ita I, 2, 6. *coccum* — os I, 3, 13. *discentes* I, 5, 55. *ut homines* I, 6, 1. *ratione vetustate* — *religio* III, 2, 111. *moveri* V, 6, 3. *Qui non recipiet conditionem* — *negarent* III, 4, 3. id quod in Bamb. exstat *praecipue ubi* et *de iure* quod negat vir doctissimus ullum adhuc editorem tueri ausum esse, in octo editionibus, quas ipse possideo, etiam in Burmanniana et Gesneriana reperitur.

His igitur, quae commemoravi, novis subsidiis criticis instructus plurimum operae studiique in textu Quintiliani recensendo consumsi: elegi autem quintum librum, de quo in sequentibus disputarem, quoniam in hoc praeter Turic. et Bamb. etiam nova Florentini collatione usus sum, deinde quoniam in hoc potissimum multi sunt loci, meo quidem iudicio nondum restituti, praecipue lacunae quaedam, quas coniectura sanare conatus sum.

Sed quum necessarium videretur omnia, quae nunc parum recte scribi existimabam, enumerare, de multis quam brevissime exponere coactus eram, praesertim quum comparationis causa haud paucos locos libb. III et VI addidissem: sed quoniam factum est in iis, in quibus aut auctoritas librorum mscri. maximi sit momenti, aut quos alii explicaverint, facile me veniam virorum doctorum impetraturum esse spero.

Haec erant, quae praemonenda esse putavi: iam ad singula.

Lib. V. Prooem. 1. *Namque et adfectus duplici ratione excludendos putabant, primum quia vitium esset omnis animi perturbatio, deinde quia iudicem a veritate pelli misericordia gratia similibusque non oporteret.*

Displicet mihi verbum *PELLI*, quod Quintiliani dicendi rationi parum accommodatum est. Itaque malo redire ad id, quod prius vulgo legebatur et sine dubio etiam Bamb. defenditur *DEPELLI*, quum simplex verbum reperitur in Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. Alm. Sequuntur in Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. haec: *misericordia gratia similibusque*, in Guelf. *misericordia vel ira aut similibus*, in Bamb. *m. vel ira*, in Flor. sec. m. Bamb. sec. m. *misericordia gratia vel ira*. Videmus igitur vocem *gratia* in aliis libris scriptis positam, in aliis vero omissam esse, atque negari non potest, quin facile potuerit excidere, id quod factum esse puto VIII, 3, 74. ubi quum codd. fere hoc praebeant: *innatam (innata) videtur habere non arcessitam (arcessita)*, meo iudicio scribendum est: *Nam per se frigida et inanis adfectatio, cum in acres incidit sensus, innatam videtur habere non arcessitam gratiam*. Hoc vero loco longe alia res est, non enim eodem modo misericordia atque gratia iudicum paratur, illa quidem affectibus excitatur, „haec autem etiam sine ulla oratoris opera in animis iudicum valet.“ Hanc igitur ob causam minus recte alterum cum altero coniungitur. Saepius autem misericordia et ira inter se opponuntur, cf. I, 11, 12. V, 10, 27. XII, 10, 62. cautius igitur scribemus *misericordia vel ira similibusque* vel, quod malo, *misericordia ira similibusque*. Fluctuabat enim lectio et quum librariis optio data esset utrum vellent eligendi, alii *gratia*, alii *ira*, alii etiam *gratia vel ira* praeferebant. Duplices vero lectiones etiam in antiquissimis libris haud raro inveniuntur, cuius rei non alienum videtur duo exempla in medium proferre, in quibus quid sit scribendum, vix poterit dubium esse. Ac primum quidem legitur III, 1, 8. *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos, imparatos, impares agentium contra ingeniis dixerimus*. Ita ex Ambr. 1. scripsit Bonnellius, sed videamus, quid in ceteris bonis libris reperitur. In margine Flor. additum est *vel impares vel imparatos*: habemus igitur in hoc libro illam, quam supra indicavimus, ditto-graphiam, neque quemquam tam superstitiosum futurum esse existimo, ut hanc lectionem paullo tantum deteriorem ea, quae nunc recepta est, comprobet. Nam quum Quintilianus in sequentibus praeciperet, ut oratores infirmitatem suam iudicibus commendarent, non poterat suadere, ut se imparatos esse confiterentur, quod iis culpa potius atque opprobrium vertendum esset. Ea, quam desideramus, sententia est in scriptura cod. Bamb. *infirmos et impares* (in margine additum est *imparatos*). Atque eodem redit lectio Turic. *infirmos in partes* (*parte* sec. m.), in quo tamen coniunctio *et* deest. Idem verbum *imparatus* etiam X, 7, 3. recte deletum est, ubi bonos libros secuti emendatione Frotscheri *possit* probata scribemus: *ut quisquam possit orator aliquando omittere casus*, quum prius fere ita legeretur: *ut quisquam sit orator imparatus ad casus*. —

Alter locus est VII, 1, 23. *Solebam et hoc facere praecipue, ut vel ab ultima specie — retrorsum quaerere.* Prorsus supervacua est v. *praecipue*, quae qua auctoritate nitatur nescio: in Ambr. 1. Bamb. Flor. legitur *facere praecipere ut ab*, in Turic. Guelf. f. *praecipere vel ab*, in Turic. sec. m. f. *vel praecipere vel ab*. Quamquam facillime *praecipere* e *praecipue* nasci poterat, tamen hoc quoque loco duplicem exstitisse scripturam atque *praecipere* ut ineptum interpretamentum verbi *facere* delendum esse arbitror.

Prooem. 3. *hic erit liber illorum opinione maxime necessarius, quia toto haec sola tractantur.* Iure miramur, quod h. l. particula *quia* usurpata est; neque enim causa redditur, cur hic potissimum liber necessarius sit neque eius necessitas ita debuit demonstrari, ut, quid in eo solum inesset, doceretur. Res simplicissima: opus est pronomine relativo *quo*, quod, quum priores editores tuerentur, novissimi immerito spreverunt, scilicet codicibus nimium inhaerentes, in quibus *quo* et *quia* sexcenties confunduntur.

Prooem. 4. *Nam neque prooemii neque narrationis est alius usus, quam ut iudicem huic praeparent et status nosse atque ea, de quibus supra scripsimus, intueri, supervacuum foret, nisi ad hanc perveniremus.* Extrema verba *ad hanc* quum non videantur habere, quo referantur, alii auctore Capperonnero statuerunt subaudiendum esse vocabulum *probationi* ad *praeparent*, alii addi iusserunt. Recte omnia se habere hac voce vel ante vel post *praeparent* adiecta facile Spaldingio, qui suavit, concedemus: at, si quaeritur, num necessaria sit haec mutatio, non sine iusta causa gravissimos doctissimosque interpretes hanc vocem omisisse iudicabimus. Etenim quum liber quintus hoc nomine inscriptus esset, facile pronomem *hanc* huc referebatur. Bonnellius quidem ex Ambr. 1. inseruit *huic*, quod non potest non vitiosissimum videri iis, qui illud pronomem demonstrativum recte positum esse negant. Equidem, quamvis et pronomine et substantivo carere nos posse censeam, tamen nescio an aliud facilius e libris eruamus: neque enim in Ambr. 1. sec. m. Turic. pr. m. Flor pr. m. Alm. scriptum est *praeparent*, sed *praeparentis*, unde suspicari licet duo verba coaluisse in unum atque legendum esse *praeparent iis*: quod si quis probaverit, *iis* referet ad verba praecedentia *haec sola*, quibus recte Pithoeus confirmandi sua, aliena refutandi rationem significari censet.

Operae pretium videtur esse h. l. complura de variis formis pronominis demonstrativi in medium proferre, quia, quo consilio novissimi editores hac vel illa usi sint, intelligere non possumus. Itaque, quum codices parum accurate, quod saepissime Spaldingius queritur, in hac quidem re collati sint, quae ipse notavi e cod. Turic. discrepantia ab editione Bonnelliana huc ascribo, scilicet sperans fore, ut certe aliquem fructum harum rerum periti inde capiant. Atque plane simili modo scriptum est II, 7, 1. *existimo inis de quibus* — 16, 14. *et armis ingenita quaedam* — III, 4, 4. *quod inis fere versari* — 6, 59. *si qua est inis culpa* — VI, 3, 26. *nihil enim estis* — XI, 2, 11. *partem bis petere* — 3, 119. *maxime placentis* — praeterea II, 4, 29. *Nec vero is* — III, 4, 15. *inuenietur ex is* — 8, 52. *nullo alio ab is* — III, 2, 52. *conuenientes is quae* — 66. *iam de is loquamur* — 90. *ne is quae vera constabit* — 115. *aduocari is rebus* — 122. *factum is quo-*

que — V, 7, 3. *proquae is quia ei conflagitur* — 25. *quod is temporibus* — 10, 52. ^h*isadicitur*
modus — 14, 33. *ne is quidem* — 34. *nullum ornatum is* — VI, Prooem. 15. ^{u i ae}*effectet isque* —
 1, 23. *aut is quae quam c.* — *aut is quae d.* — 3, 26. *cum is modus contingit* — 44. *lectores*
^h*isque patris* — 80. *nascuntur ut is* — 102. *is adicit* — VIII, 4, 70. *is quae secuntur* —
 110. *placuerit is* — X, 1, 67. *is qui ad d.* — 2, 4. *contentum esset is quae* — XI, 1, 2. *nisi*
cum is — 39. *sunt is quibus* — 42. *easdem in is* — 85. *affirmant ut is* — 3, 12. *aut in is*
quae — 57. *se quodcunque ex is* — 61. *certa ea est quae is* — 170. *aliquid ex is* — 183. *quod*
ab is — XII, 1, 13. *sequitur inisque* — 8, 7. *ante omnia is nisi quae* — 8. *remedium in is* —
 10, 11. *In is etiam* — —

I, 1, 8. *peius his qui* — 32. *etiam his quae* — 36. *et in his* — 2, 2. *quod quidem*
cum his — 4, 25. *erunt et his quae* — 7, 16. *nam in his quae* — 10, 31. *iam ex his quibus* —
 II, 1, 6. *aliquem ex his* — 10. *est ex his* — 3, 3. *ab his quos* — III, 6, 68. *ex his etiam* —
 8, 67. *namque contionis* (om. *in his*) — III, 2, 52. *uel his contraria si defendemus* — 65. *et*
in his qui ^{ae} — V, 7, 13. *quod cum in his* — 8, 4. *nisi in his quae* — 10, 34. *initium ex his* —
 45. *aut ex his* — 62. *deducit et his* — 106. *praecipue in his* — 11, 1. *Tertium genus ex his* —
specialiter in his — 8. *etiam in his* — 15. *autem ex his* — 17. *nisi quod his minus* —
 19. *facile his quibus* — 23. *ut his faveamus* — 13, 36. *praetereuntem et his* — 38. *ad con-*
ciliandum his — 46. *numquam his* — 47. *et iste nescio quis de his* — 14, 21. *omnibus his*
quae — VI, 1, 16. *sollemnia aut cum his temporibus* — 23. *petentur aut ex his* — 51. *aut*
cum ex his — 2, 27. *quare in his quoque esse u. u.* — 3, 10. *unus ex his* — 55. *condicio est*
in his — 65. *similemque his* — 4, 4. *ita in his causis* — 15. *pugna in his quae optinere* —
 19. *et ab his* — VII, 1, 55. *saepe in his* — 2, 7. *in his autem* — 23. *quam in his* — VIII.
 Prooem. 18. *resistam his* — 3, 37. *michi sicuti quidem etiam in his* — 64. *quaedam etiam ex*
his — 6, 31. *posita ab his* — VIII, 1, 3. *quaedam in species* (om. *his*) — 44. *ut fiat his* —
 2, 6. *incipiamus enim ab his* — 3, 90. *ita his quae* — 100. *Ego illud de his* — 4, 2. *atque in*
his — 19. *prius his quae recte* — 58. *dum ex his* — 67. *sed etiam in his* — 83. *stabiles his*
graviorem — 100. *ex his quae* — X, 1, 68. *densus et in his* — 104. *etiam in his* — XI, 1, 89.
doctrinam his concedit — 2, 23. *namque in his* — 36. *uerum et in his* — 49. *nisi in his* —
 3, 41. *nam in his parum* — 74. *moribus et quod cum his* — 75. *lacrimas natura* (om. *his*) —
 92. *partibus et liberius* (om. *his*) — 134. *itemque ab his* — XII, 1, 26. *dicentem his hoc quod*
aperserit — 2, 8. *traditur ab his* — 19. *instrui ab his* — 5, 6. *sufficiat ab his* — 10, 56.
instandum his quae — *ire silentium ab his* — 11, 16. *enim plus ex his partibus* — —

III, 8, 35. *et in nobis et in hiis* ^{qui}*deliberant* — VIII, 1, 19. *ita de hiis figuris.* — —

I, 5, 30. *et in iis* — 7, 33. *descendendum atque iis* — 8, 6. *si tamen in iis* — 9. *quo-*
que in iis — 14. *non ut ex iis* — 10, 8. *aliquis sine iis* — 12. *quoque iis motibus* — 11, 3.
si qua in iis — 14. *electa ex iis* — II, 4, 28. *qui etiam in iis* — 5, 11. *pretium quam iis* —

8, 1. *diligenter in iis* — 13. *atque in iis certos* — *erit qui ex iis* — 11, 6. *atque in iis*. — 12, 2. *fortior ab iis* — 15, 11. *communis cum iis* — 20. *excludi ab iis* — 17, 2. *uideantur sed cum iis* — 9. *salubrium atque iis* — 17. *prima iis* — 21, 5. *dicendum arbitratur iis* — III, 1, 11. *ex iis et ipse*. — 2, 4. *qui sunt in iis nati* — 5, 1. *aut ex iis; quae significantur aut ex iis* — 13. *etiam in iis* — 6, 8. *gradum ex iis* — 24. *sed ex iis* — 33. *sic ab iis* — 36. *nam in iis* — 65. *quicquam ex iis* — 80. *est igitur iis* — 7, 8. *si qua ab iis* — 10. *uixerunt in iis* — 28. *possint iis quae* — 8, 17. *sed in iis* — 54. *uero in iis* — 58. *genus in iis* — 69. *quidem in iis* — 9, 8. *incipiendum ab iis* — IIII, Prooem. 3. *fefellisse in iis* — 1, 18. *amicos aut pro iis* — 39. *uerum ex iis* — 44. *praeceperimus ut ab iis* — 45. *in iis quae* — 48. *breuitatis et iis* — 50. *infinite cum iis* — 2, 86. *eruditus et iis* — 101. *optimum erit et iis* — 4, 1. *maximeque in iis* — 5, 20. *interpellemur ab iis* — V, 10, 47. *in iis omnis* — 112. *non esse iis* — VI, 1, 42. *tollerabilis^{ia} quibus (om. iis)* — VIII, 1, 24. *in omnibus iis locis* — 2, 67. *ex iis quod* — 103. *aliquam ex iis* — XII, 9, 18. *itaque in iis* — 10, 1. *in omnibus iis et* — 25. *si quod in iis* — —

III, 6, 104. *tradita sunt ab eis* — 8, 1. *si quid in eis* — IIII, 2, 83. *nam ne eis quidem* — XI, 1, 30. *fere accidunt eis* — XII, 1, 3. *concesseris eis qui* — —

I, 2, 20. *sacris isdem* — 4, 7. *tum enim ab isdem* — 7, 19. *in isdem plurali* — 10, 2. *nam isdem fere* — II, 15, 12. *non isdem tantum uerbis* (ex additamento post sententiam addito) — 23. *aut ex isdem* — III, 6, 51. *isdem generalibus* — 88. *quae isdem* — 8, 31. *omnes et isdem* — 65. *isdem quibus* — IIII, 1, 14. *isdem omnibus sed contrario* — V, 8, 2. *isdem laudamus* — 10, 46. *isdem temporum* — 95. *ex omnibus isdem locis* — 115. *iudicem in isdem* — VI, 1, 9. *quoque isdem fere* — VII, 1, 38. *in declinationibus isdem* — 3, 12. *uon isdem uerbis* — 5, 2. *non isdem omnibus* — VIII, Prooem. 19. *firmata ex isdem* — 6, 3. *in isdem fere* — 72. *quae in isdem* — VIII, 3, 30. *et ab isdem uerbis* — *et in isdem* — 51. *hoc est uel isdem* — 4, 44. *utar isdem* — 90. *ut isdem uerbis* — X, 1, 86. *isdem ex afro* — XI, 2, 32. *non iuabit isdem* — 3, 46. *partibus isdemque* — —

XII, 10, 70. *non ex hisdem huastibus* — —

Iisdem deest bis VIII, 4, 99. et XII, Prooem. 2. — —

V, 11, 7. *verres eisdem sociis* — VIII, 3, 2. *prius fit eisdem* — 42. *et in eisdem* — XI, 1, 32. *at in eisdem* — 3, 46. *sed ut in eisdem* — —

VII, 4, 33. *agi uelint hi* — 9, 3. *contendunt hi quibus* — VIII, 4, 17. *et hi ipse* — —

I, 1, 2. *Sed hii pauci* — 7. *ne tamen hii* — 35. *moramur hii quoque* — V, 13, 57. *et hii quoque* — VI, 1, 40. *nam et hii* — VII, 3, 32. *dicuntur hii* — VIII, 4, 106. *sed omnes hii* — —

II, 4, 28. *Nam quid ii* — —

Prooem. 13. *ut idem sapientes* — I, 6, 13. *illi autem idem* — 18. *idem centum* — 33. *nam idem patres* — 10, 9. *ut idem musici* — 11, 13. *Idem autem* — III, 11, 6. *adducebat idem* — 20. *occiderit idem* — V, 13, 17. *quia idem* — VII, 3, 1. *legibus idem* —

VIII, Prooem. 4. *idem primo* — XI, 2, 9. *idem indocti facere* — 3, 134. *minoribus et idem* — XII, 1, 30. *nam idem* — —

III, 1, 64. *et is acrior* — —

I, 2, 15. *ut his omni* — V, 10, 92. *cum his factis* — 11, 32. *si his decesserit* — VI, 1, 41. *puer quem his* — 42. *nihil horum his* — 48. *prolatus quo his* — VI, 3, 47. *ut dixi cum his* — 53. *quod his acerbus* — VII, 1, 45. *cum his dampnatus sit* — 60. *tamquam his* — 6, 10. *testantes ut his* — —

Sed redeamus ad Prooem. paragraphum quintam, in qua displicet, quod quum praecedat *ut prius, quae in commune ad omnes quaestiones pertinent, ostendamus sequitur deinde, quae in quoque causae genere propria sint, exequamur*. Nullum discrimen inter primam et secundam sententiam relativam intercedit, ut iure miremur in illa indicativum, in hac autem coniunctivum positum esse. Est sane v. *sint* in Turic. Flor. Guelf. sed etiam paullo antea in eadem paragrapho *videamur* in iisdem aliisque libris neque tamen in ulla editione, quotcumque inspexi, receptum est. Atque recte hoc factum esse censeo, magnopere enim cavendum est, ne in talibus rebus codicibus nimiam tribuamus auctoritatem, non minus ratio habenda est consuetudinis dicendi atque in re ambigua comparandi sunt similes loci. Breviter hanc rem tetigi in Jahnii Annalibus 1863 p. 189 ubi proposui X, 1, 10. *tamen loquendi facultate caruerunt* et 35. *quaeque sunt istis contraria*, copiosius in Philol. 1862 p. 507 disputavi de III, 1, 65. VII, 2, 30. 55. VIII, 4, 82. X, 1, 2. 4. 3, 33. 4, 2. XII, 10, 37. Sunt autem haud pauci loci, quibus aliter statuendum esse equidem existimo, atque in multis editionibus praecipue vero novissima factum est; etenim scribendum est: V, 6, 3. *qui deos agere curam rerum humanarum negarent* quod et in veteribus editionibus plurimis et apud Iulium Victorem invenitur. — 7, 11 *variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt*, cum Bamb. pr. m. — 12. *In iis quoque adhuc, qui constititerunt sibi, vitandae sunt insidiae*, cum Turic. (cf. in paragrapho 13. *Quod cum in iis quoque, qui ea, quae dicturi videntur, re vera sciunt, necessarium est praecavere, tum multo magis in iis, qui se dicturos, quae falsa sunt, pollicentur*). — 14. *et, si perseverarunt, reprehensio facilius*, cum Bamb. pr. m. (etiam Goth. *perseveraverunt*). — 36. *si quae sunt voces per vinum, somnum, dementiae emissae*, cum Ambr. 1. 2. Turic. Flor. Guelf. Camp. — 8, 6. *quae etiam separatae a complexu rerum personarumque spectari per se possunt*, cum Flor. Goth. Camp. — 9, 12. *quae signa sunt quidem non necessaria*, fere cum Bamb. (om. v. *sint*) — 10, 54. *Id aut universonum verbis complectimur*, contra Ambr. 1. Flor. — 11, 23. *Nam παραβολή — longius res, quae comparantur, repetere solet*, cum Turic. sec. m. Camp., in quibus *parantur*, — 13, 14. *quia non, quisquis causam faciendi sceleris habuerit, et fecerit*, contra codices. — III, 1, 45. *In iis, quae negari non poterunt, elaborandum*, contra libros. — 65. *Neque enim istud scriptores Artium, quia non liceat, sed quia non putant utile, vetant*, cum Voss. 1. Camp. — 72. *nam et supervacuum aliquando est, si (om. sit) praeparatus satis etiam sine hoc iudex, aut si res praeparatione non eget*, ubi *sit* in optimis libris invenitur, *eget* in Turic. Flor. Guelf. Goth. Par. 1. 2. 3. — 2, 57. *Optimae vero praeparationes erunt, quae latuerunt*, cum Voss. 3. Camp. —

127. *perire artem putamus, nisi appareat*, contra libros — 5, 1. *si scierit, et de quo dicamus et de quo dicturi postea simus*, ubi librorum lectio est *dicimus*, sed etiam *simus* in optimis reperitur. — 5, 26. *Non enim, quid dicamus, sed, de quo dicturi simus, ostendimus*, ubi *dicamus* in omnibus fere libris (non in Guelf.), *sumus* in Turic. Flor. Guelf. Par. 1, 5. — 5, 14. *Ut certa manus uno telo potest esse contenta*, quod e Iulio Victore reposuit Meyerus. — — VI, 1, 6. *Id autem, si et actionis supererit locus et ea proposuerimus, quae refelli non possunt*, contra Ambr. 1. — 1, 51. *in quibus sane sunt frequentissimi*, contra Ambr. 1. Turic. pr. m. Camp. — 2, 4. *Atqui hoc est, quod dominatur in iudiciis*, quam Regii emendationem confirmat Camp. — 5. *Probationes enim efficiunt sane*, contra Ambr. 1. Turic. pr. m. — 7. *hic labor est, sine quo cetera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt*, contra eosdem.

V, 4, 2. *an incredibilia dixerit*; hanc vulgatam lectionem recte defendit Halmius l. 1. p. 405; sed praeterea e Iulio Victore scribendum esse: *an inter se consonantia* pro *an inter se constantia* non concedo.

5, 1. *Contra tabulas quoque saepe dicendum est*. Ita scripsit Bonnellius e multis et bonis libris atque in hac scriptura acquiesceremus, nisi in Bamb. et Guelf. inveniremus *saepe dictum* ante *saepe dicendum est*: quae intereidisse admodum verisimile est, quum ab altero *saepe* ad alterum omissis iis, quae interposita sunt, facile librarius aberraret. Frequenter autem voculas eiusmodi, praecipue quibus tempus definitur, omissas esse videmus: nam a Turic. abest V. Prooem. 1. *primum* — 7, 13. quod iam supra attigimus *tum* — 10, 15. *plerumque* — 23. *saepe* — 26. *frequententer* — 31. *plura* — 44. *adhuc* — 11, 27. *maxime* — quae quidem abesse non posse inter viros doctos constat. Ceterum similem locum habemus 7, 34. *multumque iactata sunt, semper tamen iactabuntur*, ubi particula *et*, quam ante *semper* ex Ambr. 1. inseruit Bonnellius cum omnibus fere libris delenda est.

Non magis mihi probatur ordo verborum 5, 2. quem ex Ambr. 1. hunc esse voluit Bonnellius: *Inspectio etiam ipsa saepe falsum deprehendit*, qui ex aliis codd. imprimis Turic. Flor. hic est: *Inspectio ipsa saepe etiam f. d.*

Praeterea, quum saepius a novissimis interpretibus collocatio verborum mutata sit, quibus locis minus iis assentiar, optimorum librorum habita quam maxime ratione, addicio: corrigendum igitur est ita: V, 9, 3. *quae Graeci τεζυήγια vocant*. — 6. nec enim, *quia movetur qui ingreditur, iccirco etiam ingreditur qui movetur* — 10, 41. *Ante rates, inquit, agimus causam* — 82. *qui turpiter, mali recte indicantur* — 11, 9. *Propter matrimonia violata urbes eversae sunt* — 18. *eadem in oratione* — 23. *quo tandem me animo esse oportet* — 28. *Respondit: Illius vero*, quod proposui in Quaestionibus meis p. 16. — — III, 1, 46. *ut sit idoneus suae quisque rei defensor*, contra libros, sed e consueta loquendi ratione — 2, 42. *natum sustuli filium* — 45. *virtutis obtinet locum* — 46. *non ita solum accipi volo* — 61. *ut vel proximo exemplo Miloniano patet* — 74. *semper tamen eum habuisse animum* — 95. *illum innocentem ter abdicatum* — 125. *in adfirmando quoque ponderis* — — VI, 1, 27. *O cogitationes meas inanes et Numquam tamen debet longa esse miseratio* — 28. *fatigatur lacrimis auditor* — denique VIII, 3, 43. *Quid, inquam, facere Cleomenes potuit?* et 56. *Africano industria virtutem*, quod in Quaestt. p. 17. copiosius exposui. — —

V, 6, 2. *aut praeter alia causae instrumenta adicit ex abundanti hanc quoque conscientiae suae fiduciam.* Monet Spaldingius pro *adicit* in hac structura melius sibi videri *adiciet*, quamvis in nullo codice reperiatur: est autem apud Iulium Victorem eiusque auctoritate defenditur. Huius quoque generis peccata non pauca in editionibus deprehendimus, rectiusque futuro tempore etiam his locis utemur: 7, 29. *Acuta autem interrogatio ad hoc, quod casu fieri solet, etiam ratione perducet*, cum Bamb. pr. m. — 7, 35. *ut quaeque in questionem cadet*, e Iulio Victore. — 10, 58. *Itaque, quodcumque proprium deerit, solvet finitionem; non utique, quodcumque erit, confirmabit*, e Bamb. pr. m. — 11, 6. *aut quae utilia erunt*, e Bamb. Turic. Flor. — — III, 1, 46. *Ideoque hoc primum intuebimur*, e coniectura Spaldingii. — 4, 9. *De his cognoscetis*, suspicatus est Halmius. — 5, 14. *et qui factum putabit, iustum credere potest*, quod in Quaesti. p. 22. proposui, sed iam pridem invenerat Meyerus.

Passim etiam nunc futurum tempus positum est, ubi praesens aptius vel etiam necessarium est: V, 11, 18. *Nam huius quoque generis in eadem oratione reperitur exemplum*, contra libros. — 36. *Adhibetur extrinsecus in causam et auctoritas*, contra Ambr. 1. 2. Bamb. Turic. — 10, 2. *Sunt enim, qui illud prius epichirema dicant pluresque invenias in ea opinione*, cum Bamb. — — III, 2, 36. *ut index, quae dicuntur, quam facillime accipiat*, contra Ambr. 1. — 68. *Namque, in quibus non de culpa quaeritur*, contra eundem. — VI, 1, 3. *et deinde subicit enumerationem*, contra libros, in quibus subiecit. — 52. *Nam et, si bene diximus reliqua, possidemus iam iudicum animos*, e Turic. — 3, 35. *Ea, quae dicit vir bonus, ex eodem*. — —

V, 6, 3. *Qui non recipiet, et iniquam condicionem et.* Verba *et iniquam* desunt in Bamb. pr. m. inserta fortasse a librario, qui bene coniungi posse *recipere condicionem* non intellexit. Ne plura, revertendum est ad id, quod etiam in veteribus editionibus invenio et novissime probavit Halmius: *Qui non recipiet condicionem, a multis.*

7, 9. *quibus in iudiciis publicis lege denuntiatur.* In Turic. et Flor. legitur fere: *quibus iudiciis publicis legem nuntiatur.* Verbum simplex reiiciendum esse e simili loco § 15 (*Eorum vero, quibus denuntiatur*) manifestum est. Propius accedit ad veritatem id, quod Alm. Obr. exhibent: *quibus in iudiciis publicis lege denuntiatur*; veram autem iudico lectionem Bamb. *denuntiari solet*, quam etiam Turic. et Alm., in quibus est *nuntiatur et*, confirmare videntur. Saepenumero e talibus codicum vestigiis coniectura verum aut restitutum aut restituendum est: ita VI, Prooem. 13. *ad omnium spes honorum patris admotum* e Vall. in quo *patris* superscriptum est, codd. praebent *prius*. Sequentia nondum sanata sunt. — 3, 83. in Basil. et Sich. reperimus *indignum tamen est homine liberali*, pro codicum lectione *tolerabili*. — 99. *Subabsurda illa constant stultis simili imitatione* suspicatus est Regius e scriptura codd. *stultissimi*. — 100. fortasse praefendum Burmanni *Me ex te metiris, inquit*. — 107. *qualis apud Graecos ἀτιζισπὸς ille redolens Athenarum proprium saporem*, quod praeoccupatum mihi a Regio ab interpretibus neglectum esse miror. — 110. *urbana ex serio* coniecit Spaldingius, quum in bonis libris esset *exerio*. Idem scribendum equidem censeo 94. *Interim et serio dicere ridiculum est et*: qua coniectura etiam ea, quam ostendit Spaldingius, difficultas tollitur, neque enim opus erat exemplum hoc loco subiici, quum id, quod sequitur „*Non magis, inquit, faciam*“ eodem referendum sit. — 4, 13. *quia propositum tenentes nec in rixam ibimus nec*: nam *non*, quod nunc est in

editionibus ante *ibimus*, a bonis libris abest, praeterea autem in Ambr. 1. pro *tenentes* scriptum est *te ne*, ab altera manu *te nec*.

V, 7, 16. *sed aliquo circuitu ad id pervenire*. In Turic. Flor. pr. m. Camp. legitur *ab eo circuitu quodam ad id pervenire* atque non inconsulto ita scriptum esse facile apparere dicit Spaldingius, sed qua sententia ipse confitetur nescire nec dixerit quisquam. Otiosa autem videtur quaestio esse, num aliud nomen adiectivum lateat in his neque puto hac via nos locum recte explicaturos esse. Quod aliis libris, etiam Bamb. pr. m. commendatur *sed aliquo circuitu* offensione caret eamque ob causam hanc lectionem sequi tutius erit, quamquam difficile est intellectu, quo modo illud *quodam* in textum bonorum librorum irrepserit.

In eadem paragrapho praepositio *ad* ante *omnia* abest ab optimis libris, in editionibus et veteribus et recentioribus addita est. Atque eam adiciendam esse non solum, quia certe non omni codd. auctoritate destituta sit, sed praecipue comparatis aliis compluribus locis, quibus utrum scribenda sit, necne ambigitur, cognoscemus. Sine ulla igitur librorum discrepantia legimus V, 13, 35. *non ad proposita respondeant*, VI, 1, 5. *ut ad quaedam respondeant*: deinde VI, 3, 93. a Regio, quem omnes interpretes secuti sunt, adstipulante etiam Flor. praepositio addita est in his verbis: *quum ad reliqua non responderet*. Denique VIII. Prooem. 30. in multis editionibus (non Bonnell.) cum Turic. sec. m. Camp. recte scriptum est: *sic ut non ad requisita respondere*. Quae si comparamus, non puto dubium futurum esse, quin praepositio *ad* hoc quoque loco addi debeat.

7, 18. *Nam ut in oratione sparsa plerumque colligimus argumenta, quae per se nihil reum adgravare videantur, congregatione deinde eorum factum convincimus*. Quae verba quid significant, satis manifestum est, unum minus apertum: non enim *sparsa* librorum est lectio, sed in Bamb. Guelf. Voss. 1. 2. invenitur *prosa*, in Goth. Par. 1. 2. *perosa*, in Turic. pr. m. Flor. Ambr. 2. Par. 5. *far prosa*, denique in Camp. *plura*. Atque ut initium faciam ab ultima lectione, ea quidem mera videtur esse correctio, qua verbum, quod plane non opus erat quodque a litteris traditis longe discedit, adiicitur. Fuerunt deinde, qui defenderent *prosa*, in quorum numero est Spaldingius, qui putat „*prosam orationem hic non versibus oppositam esse, verum scissae, interpolatae h. e. altercationi vel interrogationi*“; quae interpretatio num vera sit, valde licet dubitare. Denique ut taceam de *fabulosa*, quod in Turic. a sec. m. superscriptum est, *sparsa* ad argumenta debet trahi, parum sane commoda sententia, ut recte monuit Spaldingius. Mihi quidem non prorsus alienum videtur scribere *perpetua*, quod saepe eadem sententia coniunctum invenimus cum v. *oratio* (cf. modo § 8) scilicet oppositum testium interrogationi. Idem hoc verbum verissime e codicum vestigiis, manifestioribus sane quam hoc loco, reposuit Spaldingius VI, 2, 10. Nam quum vulgo legeretur *Adiciunt quidam peritorum πάθος temporale esse*, vir sagacissimus recte animadvertit „*insolentem esse peritorum appellationem, quum plerumque quidam modo dicat Q. in diversis rhetorum opinionibus recensendis*“ et librorum lectionem *per tuum* optime explicans proposuit *perpetuum πάθος*: quam egregiam emendationem a viro modestissimo in adnotatione critica prolatam a recentioribus editoribus plane neglectam esse permirum est: novissimo demum tempore Törnebladh (Quaestiones criticae Quintilianae Calmariae 1860 p. 27) eam confirmavit comparato loco Cassiodorii in libro de rhetorica p. 503, 24 (Halm), quem e Quintiliano sumtum esse patet.

Ibi enim legitur: *Et est πάθος temporale, ἡθός vero perpetuum.* Lacunam tamen equidem non post *perpetuum*, sed antea exstitisse arbitror, nempe ut antiquitus scriptum fuerit: ἡθός *perpetuum*, πάθος *temporale esse.* Idem verbum ἡθός, quod hoc loco Spaldingius coniectura assecutus est, egregie e scriptura codicum *hoc* in proxima paragrapho factum a Pithoeo, nisi fallor paullo infra § 18 repetendum est scribendumque: *Denique ἡθός omne bonum et comem virum poscit*, nam id, quod in libris et editionibus est, *hoc omne* quam indefinite dictum sit, unusquisque intelligit. Eadem ratione VIII, 6, 37. complura verba sanare conatus sum, quae quum latinis litteris scriberentur, acumen criticorum fallebant. Proposui igitur in Philol. 1862 p. 517 hoc: *μετάληψις — — et rarissimus et maxime inproprius, Graecis tamen frequentior, qui Centaurum Chirona ἡσσονα et insulas Ἐχίνας θοὰς dicunt.* Non dubito, quin ἡσσονα recte e *hoc cona* restitutum sit, reliqua autem fortasse rectius ita mutabimus, ut utroque verbo, in quo *μετάληψις* inest, recepto scribamus: *et νήσους ὀξείας θοὰς dicunt.*

V, 7, 21. *est oratoris, suspectum testem, dum prodest, dimittere.* Codicum nulla commemoratur varietas, recte autem contendit Reginus corrigendum esse *accusatoris* vel certe *actoris*; „nam nisi corrigatur, parum convenient, quae subiiciuntur, cum superioribus. Cur enim patronorum in parte expeditior, in parte difficilior est interrogatio, quam oratoris, quum patroni utique sint oratores?“ Rectissime ille: neque hanc difficultatem sustulit Spaldingius hac addita interpretatione, qua vulgatam lectionem tueretur: „oratoris h. e. perfecti in suo genere artificis.“

7, 23. *Itaque in eo, quod incertum est, cura et inquisitione opus est.* Ita in antiquissimis editionibus bene legitur, in libris scriptis, qui commemorantur, omnibus male inverso ordine verborum *quod in eo*, quod, quum plane intelligi non possit, non debuit revocare Bonnellius: in Ambr. 1. *quod* omissum est, qua tamen discrepantia scripturae non adiuvamur, quum verisimilius sit hanc vocem excidisse post *itaque*, quam post *eo*.

Sequentia lepidissime Gesnerus ita mutanda atque ordinanda esse censuit: *qui reum premat quas et quibus ex causis inimicitias habeat*: „Quid enim? inquit, scit patronus, *qui dixerit testis?* et tamen cura et inquisitione opus est, *quis reum premat?* Stupidum mihi narras, Fabi, patronum et schola tua indignum. Constructio a monachorum sermone aliquantum abhorrens occasionem dedit mutandi *qui* in *quis* et pervertendae sententiae.“ His igitur Gesneri argumentis assentiens eius interpretationem longe praeferendam esse puto.

7, 26. *prudens vero et constans vel tamquam inimicus et perversus dimittendus statim vel non interrogatione sed brevi interlocutione patroni refutandus est aut aliquo, si continget, urbane dicto refrigerandus aut.* Quae hoc loco de testibus tractandis disputat Quintilianus, per se spectata manifesta sunt, in sententiis autem coniungendis propius nos ad archetypum accedere posse confido. Magnopere enim displicet ea *vel* et *aut* particularum coniunctio, qua nullum inter utramque intercedat discrimen. Quamquam complures inveniuntur loci, quibus promiscue dicuntur, tamen ea res non impedit, quominus accuratius libros exploremus et quid praebeant, inquiramus. Iam vero prius *vel* inde originem duxisse iudico, quod duplex verbi sequentis scriptura et *quasi* et *tamquam* in codicibus erat posita, ut, quum alteram eligerent librarii, falso etiam *vel*, qua particula varia lectio notabatur, probarent. Quam sit haec suspicio verisimilis, cognoscere licet e lectione *uel quasi iam*, servata in Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. Camp. Neque tamen id, quod desideramus, periit, nam in

Bamb. est *tamquam* omissa v. *vel*, superscriptum autem ex illis *quasi iam* a sec. m. Non minus facile de altero *vel* diiudicabitur: nam in Turic. Flor. pr. m. Alm. Camp. non legitur *vel*, sed *et*, quod facillime ex *aut* poterat nasci: iam vero, si hoc ipsum *aut* reponimus, omnis difficultas tollitur — Restituenda videtur particula *vel* VI, 3, 73. quum in libris legatur *ut* scribendumque *interim vel simulata adensione*, rursus autem delenda I, 6, 1. in his verbis: *Sermo constat ratione vel vetustate, auctoritate, consuetudine*: nam *vel*, quod est in Ambr. 1. Turic. proclivi errore e male repetitis primis litteris sequentis verbi ortum nulla ratione defendi potest.

Eandem, quam supra commemoravimus, verborum *tamquam* et *quasi* commutationem habemus etiam VI, 3, 59. non in libris quidem scriptis, sed editis. In illis hoc fere traditum est: *noli inquit tamquam assem elephanto des.* omisso verbo, quod deesse nequit. Iampridem haec lacuna ita repleta est, ut post *inquit* insereretur *dubitare*: praefendum, quod proposuit Spaldingius: *noli inquit timere*, non solum ob sententiam, sed etiam, quia v. *timere* ob similitudinem initii huius et sequentis verbi excidisse verisimilius est. In hac igitur verborum constitutione acquiescimus neque Bonnellio assentimur scribenti *timere quasi*, scilicet utrumque in v. *tamquam* latere opinanti. Idem hoc *quasi* rursus delendum esse iudico VI, 1, 36. vel contra libros atque reponendum *quale*, quod bene respondet antecedenti *tale*. —

Explicat deinde Quintilianus § 27 seqq., qua ratione contra probos et verecundos testes utendum sit et suadet, ne severe in eos agat orator, quum saepenumero ii, qui contra insectantem „pugnassent“, modestia mitigentur. Haec sententia melius lectione codicis Bamb. *pugnassent*, quam ceterorum bonorum librorum *pugnat* exprimitur. Non multum interest, pluralem numerum an singularem praeferamus, sed, quum in Bamb. pr. m. pluralem inveniamus, hunc propter reliquam libri egregiam fidem anteponemus. Pari modo uter numerus praefendus sit, dubitare licet III, 2, 110. *et adfectu quoque inplevit*, quum in libris fere legatur *adfectus*, in Bamb. sec. m. Ambr. 1. *adfectu*. — VI, 3, 41. ubi Bamb. *rati* exhibet, Turic. *ratus*. — V, 7, 31. ubi in Bamb. pr. m. *interrogantis*, in Turic. *interrogaticum*, in Flor. pr. m. *interrogatium*. Singularem autem praestare existimo V, 14, 20. *Aut enim expugnatur intentio*, ubi pluralis lectore non monito a Zumptio scriptus a Bonnellio repetitus est, qui qua auctoritate nitatur, in meis quidem subsidiis frustra quaero. Idem numerus necessarius est VI, 2, 27. *si nihil ipse, qui in iram concitat se idque exigit, simile patitur*: quo loco nova atque inaudita scriptura *similia* (in edit. Zumpt. *simila*) vituperanda est.

8, 3. *quod consequi nisi argumentatione aliaque omni fide rerum non possumus*. Sic restituendum puto e Bamb. Flor. aliisque, quum in Turic. Alm. Par. 1. minus recte v. *omni* omittatur. Hoc autem loco addendum videtur textum huius, de quo disputamus, libri saepissime et gravissime uno vel pluribus verbis in codicibus omissis corruptum esse: quam negligenter librarii in describendo cod. Turic. versati sint, satis superque ipse cognovi. Superstitiose igitur codices sequi, ea tantum, quae in libro vel optimo reperiantur, vera atque genuina habere, parum equidem criticum decere arbitror: habenda ratio etiam reliquorum, etiam deteriorum librorum, coniecturae autem latius concedendum est spatium. Itaque paullo post in paragrapho 4. legitur in Turic. Flor. pr. m. Alm. Voss. 1. 3. *Quorum priusquam partiamur species, indicandum esse quaedam* omissa voce est, quam exhibet solus Ambr. 1. Guelf. *erit*, Goth. cuius hic illie non spernendae exstant lectiones,

reor: idem in margine Bamb. additum est et in Flor. a sec. m. sed parum recte post *esse*, unde suspicor a librario imperito ex alio libro additum esse. Lacunam igitur exstitisse videmus post *indicandum*, expletam aliter in aliis libris, verisimillimum autem est antiquitus scriptum fuisse *indicandum reor*. — 10, 10. *Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod probationem, indicium, fidem, adgressionem eiusdem rei nomina facit, parum distincte, ut arbitror. Nam probatio et fides efficitur non tantum per haec, quae sunt rationis, sed etiam per inartificialia. Signum autem, quod ille indicium vocat, ab argumentis iam separavi.* Non effugit praeclarissimum Regii acumen nomen alicuius rhetoris, quem Q. reprehendat hoc loco, desiderari eumque Celsum fuisse suspicatur, „quem e more suo carpat“. Hunc plerique veteres editores secuti sunt, alii Plinium fuisse contendunt, minus recte Turnebus eam ob causam nomen a scriptore non additum esse suspicatur, quod auctor illo tempore notissimus fuerit. Lacunam igitur hoc loco exstare censeo, sed prorsus Spaldingio assentior, qui ita, ut Regius suaserit: *quod Celsus probationem — faciat* ob nimiam structurae duritiam dici posse negavit. Circumspicienti igitur mihi, qua ratione ea lacuna expleri posset, in mentem venit ita scribere: *Sed nunc de eo d. a. est, quod probationem praestat. Celsus quidem probationem indicium e. q. s.* Quae coniectura certe non omni veri specie caret, si conferimus, quae infra § 11 explicat Q. *Ergo cum sit argumentum ratio probationem praestans*, deinde vero, quia facile librarius ab altero *probationem* ad alterum aberravit. — 10, 24. legitur in codicibus: *nam similes parentibus ac maioribus suis plerumque creduntur.* in Camp. post *suis* additum est *fili*: quod plurimis interpretibus probatum meo quoque iudicio vix abesse potest. Idem vocabulum § 107 e lectione librorum haec: *negat sit nisi*, quum Burmannus proposuisset *negabit nisi*, recte Spaldingius eruit atque reposuit, scilicet: *Negat filius nisi: (patri inseruit Regius VII, 5, 3: Ignominioso patri filius praescribit)* — In extrema paragrapho 44 in Turic. Alm. Camp. (non Flor. conf. Peter) invenitur *adhuc*, quod cur deletum sit, non video; ceterum libros secutus hunc verborum ordinem revocandum esse puto: *cum adhuc natus omnino non esset.* — 10, 47. post *lenocinii* legitur in codd. *speciosae marito*, omisso tamen mox *speciosa*. Spaldingius haec verba ut interpretamentum expungenda esse censet eumque recentiores editores secuti sunt, meo quidem iudicio minus recte. Nam quum in explanando loco difficillimo vir doctissimus egregie versatus sit, hoc unum mihi non persuasit neque ipsum fugit optime concinnitati orationis servire, si, quemadmodum mox post *parricidii reo luxurioso*, ita hoc loco *speciosae marito* subiiciatur. — Maior lacuna vel potius duae sunt 10, 64. quae quomodo e Iulio Victore explendae sint, Halmius docuit l. l. p. 406, quum iam antea Törnebladh l. l. p. 20. non male in hac re versatus esset. Sed quae ab utroque viro doctissimo disputantur, mihi non plane probantur: nego enim tantam esse illius libri fidem, ut tuto eum sequi debeamus, praesertim quum ea ipsa, quae ibi reperiuntur, offensione non careant. Unum enim istud *labefactare*, quod additum est — legitur enim: *verbis aut manu labefactare* — nisi opinione antea concepta ad lustrandum locum accedimus, totam hanc dicendi rationem maxime debet suspectam facere atque impedire, quominus talia Quintiliano tribuamus. Deinde quum apud Iulium Victorem reperiamus: *haec ab ipsis esse credamus*, in libris Quintiliani *credantur*, hanc lectionem alteri praefero, quum illum talia fere ubique mutasse videamus. Neque magis mihi alterum supplementum e Victore sumtum sufficit, hoc: *nam ut quaedam in quibusdam*

utique sunt, ita quaedam in quibusdam utique non sunt. Totum locum equidem ita scribendum esse censeo: *ut quia proprium est boni recte facere, iracundi autem male dicere aut ex ipsis factis aut verbis esse credantur aut contra.* Nam ut quaedam in quibusdam sunt, in quibusdam utique non sunt, ita ratio, quamvis sit ex diverso, eadem est. — 10, 76. post *consequentia* verbum excidisse inter omnes fere interpretes constat, quale hoc fuerit, vix decerni poterit. Neque audiendus est Burmannus, qui dicit verbum *esse* facile subintelligi posse, neque Francius, qui corrigebat: *non dubito quin haec*; Regius proposuit *adiungere*, alii aliud; quid praestet, difficile erit dictu. — 10, 90. abest a libris v. *et* ante *pluribus*, quae, si usitatum dicendi rationem sequimur, abesse non potest. Facile eam addemus neque nimiam fidem in talibus rebus libris habebimus, quum eandem vocem ante *totum* in Ambr. 1. 2. Guelf., post *speciem* in Flor. Guelf. Camp. Goth. omissam esse videamus, ubi nunc ab editoribus reete adiecta est. (Similiter 10, 22. scribendum: *Multus alioqui error et exhausto labore*, ubi nunc *est* legitur) — 10, 110. post *generibus* Regius, quem plurimi secuti sunt, inseruit *quidem*: facilius etiam *vero* (û compendio scriptum) post *alius* adici poterat: neutrum tamen necessarium esse iudico, utrumque autem probandum, si vel levissima codd. auctoritate niteretur. — 11, 11. concinnitas videtur postulare, ut verba *atque audacissimo*, quae in omnibus codd. desunt, sed e Cicerone certissime addi possunt, inseramus atque scribamus: *ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro peterem.* — 13, 23. excidisse *id* recte vidit Regius atque scribendum esse: *Id in iure facile deprehenditur*, quae coniectura Bamb. et Goth. confirmatur. (idem eodem modo 7, 8. suspicatus est: *Id quomodo contingat, explicabimus*) — 14, 30. nescio an scribendum sit: *Locuples et speciosa et imperiosa vult esse eloquentia*, quemadmodum est in Cassiodorii libro de rhetorica p. 503, 11. (Halm) — III, 1, 18. *Est enim nonnumquam pravus hic ambitus.* *Pravus* receptum est ab Aldo, in libris aut *parvus* aut *pravis*. Quod olim adiciebatur *iudicibus*, expunctum est: *pravi iudices* ut bene dicantur, ipse Spaldingius, qui exhibuit, veretur. Possumus sane in Aldina scriptura acquiescere neque ita durum videtur, quod *gerant* et *videantur* non habent proprie, quo referantur, ut Spaldingius existimavit. Sed quum e codd. restitui possit, quod ne haec quidem difficultate laboret, quidni faciamus? Credo igitur non tam excidisse vocabulum, quam cum antecedente in unum coaluisse: nam in optimis libris Bamb. Turic. Flor. pr. m. Par. 2. 4. 5. exstat *pravis*, ut antiquitus scriptum fuisse *pravus iis hic ambitus* suspiceris. — 2, 55. *Hoc faciunt et illae praeparationes, cum reus dicitur robustus, armatus contra infirmos, inermes, securos.* Quominus ita scribamus, impedit lex concinnitatis, quam severissime tuetur Quintilianus, nam quum *robustus* et *infirmos*, *armatus* et *inermes* inter se opponantur, verbo *securus* nullum respondet. In paucis codd. Bern. Voss. 2. Bodl. inseritur *solicitus*, quod rectissime ab interpretibus additum a Bonnellio deletum est. Neque debuit Zumptius in hoc verbo offendere, quum saepius *securus* et *solicitus* inter se opponantur (cf. XI, 3, 151. *Sunt enim tristes, hilares, sollicitae, securae, grandes, pusillae*), quod autem ipse proponit *turbatus*, omnino non habet, quo commendetur. — Facillime III, 1, 42. *quia* post *quae* excidit in compluribus codd. etiam Bamb. Turic. atque 1, 74. *is* in his verbis: *Tum C. Varenus, is qui a familia Anchariana occisus est*, quod recte Spaldingius addidit, praesertim quum idem legeretur VIII, 2, 56. — Quantopere autem nunc textus depravatus sit, quoniam editores verba in codd. tradita mutari noluerunt, manifestum exemplum

habemus III, 2, 109. *Q. Ligarius legatus C. Considio profectus*. Quid ea verba significant? qua ratione ablativus casus explicandus? quomodo terra vel regio, quam petiit, omitti potuit? Nempe quum simplicem rei ordinem indicaret scriptor, quam egregie Cicero eam exposuerit postea additurus, non tam obscure dixisse putandus est atque ea in medium protulisse, quae neque rei ordinem continent neque omnino intelligi possunt. Certissima mihi videtur ea, quae iam pridem inventa et ab editoribus recepta est, medela: *Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Considio profectus est*. — VI, 1, 19. *cedendum bonis aut omnia, quaecumque inimicus fecerit, perferenda*; quod in plerisque editionibus est atque etiam in Ambr. 1. *inimicus fecerit*, ferri quidem potest, sunt autem aliae librorum lectiones, e quibus aliter scribendum esse conicias: nam in Turic. scriptum est *inimicus* (in margine *animus*) *fuert*, a sec. m. *inimicis*. Lacunam igitur hoc loco exstitisse videmus, quae postea ita expleta est, ut in aliis quoque libris scriptum est, scilicet voce *animus* addita, quae, quum compendio scriberetur, saepius in optimis libris depravata est. Itaque, ut nunc praetermittamus verba V, 12, 14. *ut animis crescant*, de quibus postea disputabimus, convertamus nos ad VI, 2, 6. *quia sensum oculorum praecipit animus*. Ita in Ambr. 1. Goth. legitur, *praecipitamus* in Bamb. Cod. Palat. Gebhardi, *praecitamus* in Turic. pr. m., *premit amor* in Turic. sec. m. Par. 1. 2. aliisque. Equidem cogitavi aliquando de *praestringit animus*, sed iam video id, quod scriptum est, ferri posse. (Idem vocabulum *praecipere* praefendum est III, 5, 4. cum Turic. Flor. sec. m. (*praecipitur* pr. m.) atque ita scribendum: *omnis in reliquum gratia novitatis praecipitur*). Etiam VII, 1, 48. vox *animus*, vel potius verba *redeat animus* pessime leguntur. Neminem in his offendisse magnopere miror, equidem confiteor me ea non intelligere, lenissima autem coniectura malo scribi: *Adhuc versamur in confessis, redeamus ad petitorem*; atque eo loco, unde egressi sumus (VI, 1, 19): *quaecumque inimicus minatus fuerit* (cf. V, 9, 10. *ita ceteris adiunctum testimonii loco ducitur, si inimicus, si minatus ante, si eodem loco fuit*). Ceterum ut hoc statim addam, in praecedenti paragrapho recipienda est firmissima emendatio Regii *solitudinem* pro eo, quod est in libris *solicitudinem* proponentis, atque in sequenti e libris deterioribus scribendum: *cum ea, quae praedieta sunt ab accusatore*, quum a Bamb. Turic. absit *quae*, ab Ambr. 1. Flor. *ea quae*; denique paullo infra magnam veri speciem habet coniectura Spaldingii: *iam si a patrono repententur*, ubi nunc legitur: *iam si pro reo petentur*. Praeterea eandem vocem *quae* excidisse puto cum Spaldingio VI, 4, 22. atque scribendum: *cuius rei eadem quae in argumentis ratio est*.

Multis magnisque difficultatibus laborant haec V, 9, 3. *Dividuntur autem in has primas duas species, quod eorum alia sunt, ut dixi, quae necessaria sunt, quaeque aliter habere se non possunt, quae Graeci τεκμήρια vocant, ἄλλια σημεῖα, quae mihi vix pertinere ad praecepta artis videntur*. Maxima codicum varietas; est enim in Turic. Flor. pr. m. *necessaria sunt, quaeque aliter habere se non possunt*, et sic in Ambr. I. (modo *quoque*). In aliis autem libris post *necessaria* inseruntur haec: *priora illa sunt*, scilicet in Bamb. Guelf. Goth., *sunt pr. i. sunt* in Bamb. sec. m. Flor. sec. m., in his autem libris, in quibus lacuna expleta est, non legitur *quaeque* sed *quae*. Quae verba in multis editionibus desunt, quo iure, ipsi viderint, qui ea omiserunt. Qua tandem ratione in textum ea incidisse existimabimus? Manifesta quidem corruptela, qualis VI. Prooem. 6. ubi post *superstitibus* in Turic. Alm. reperimus *orbitabar*, in Flor. *orbitatibus*, hoc

enim verbum e praecedenti *orbitatis* ortum esse patet, non minus manifesta corruptela verborum *quod nefas erat sera sed*, quae in eadem paragrapho exstant in omnibus fere codicibus, quum *sera* ex male coniunctis et repetitis verborum antecedentium particulis natum esse appareat: quod quamquam luce clarius est, tamen in nonnullis veteribus editionibus ea vox, quam Goth. 2. Camp. omittunt, correctam et mutata est in *saeva*. Ob eandem causam delenda esse verba *in malis nec agere*, quae in aliis libris post *egressum*, in aliis post *annum* inserta sunt, recte animadvertit Muretus, cui complures emendationes haud spernendas debemus. Haec exempla attulimus, quae in una eademque paragrapho reperiuntur neque dubito, quin etiamnunc foedissima eius generis vitia lateant, quale turpe additamentum *Horatio iactare* VIII, 4, 36. post *Pulchra oratione acta* optime delevit Stechowius. At unusquisque intellegit talia non posse comparari cum iis, de quibus hoc loco agitur. Haec equidem verba, quae in bonis libris addita sunt, vera habenda esse puto, causam autem, ob quam interciderint, eandem fuisse, quam permultis aliis locis licet observare, postea videbimus. Lacunam statuendam esse vel inde apertum est, quod verba, quae respondent his: *quae necessaria sunt*, scilicet: *alia sunt non necessaria*, longo demum spatio interposito in paragrapho octava sequuntur. Hoc a Quintiliani dicendi ratione plane alienum est, qui perspicuitati sententiarum ita consulit, ut, quae coniungenda sunt, dirimere nolit. Simillimum locum habemus 10, 80. quem huc adscribo, quoniam ita facillime, quod demonstrare volo, perspicitur. Ibi enim legitur ita: *Haec interim necessario fiunt, interim plerumque, sed non necessario. Nam corpus in lumine utique umbram facit, et umbra, ubicumque est, ibi esse corpus ostendit. Alia sunt, ut dixi, non necessaria, vel utrimque, vel ex altera parte.* — Atque Regius hanc signorum divisionem ita confusam et corruptam esse dicit, ut ipsius Quintiliani auxilio indigere videatur: agi enim de *prioribus*, quum alterum tantum divisionis membrum exposuerit, neque, quae *σημεῖα* vocentur, ad artis praecepta pertinere. Quas difficultates ut removeret, hoc proposuit: *quae necessaria sunt, quae Graeci vocant τεκμήρια, alia non necessaria, quae σημεῖα. Priora illa sunt, quae aliter se habere non possunt, quae mihi vix pertinere ad praecepta artis videntur.* Hanc correctionem, quam plurimi interpretes secuti sunt, quamvis non prorsus probare possimus, tamen ex parte quidem verissimam esse agnoscimus. Rectissime enim Regius — huic, non, ut monet Spaldingius, Gesnero haec debetur laus — verba *alia non necessaria*, quae in libro exstant nullo, ex ingenio addidit, (non minus recte V, 1, 1. *has ἐντέχνους id est artificiales*, quae non debuit Bonnellius uncis additis in dubitationem vocare et 10, 14. *est respublica, ut administranda.*) Regii vestigia secutus Gesnerus propius ad veritatem accessit, proponens: *quod eorum a. s. u. d. q. n. alia quae necessaria non sunt. Priora illa sunt, quae aliter habere non possunt, quae Graeci τεκμήρια vocant, quae sunt ἅλντα σημεῖα, quae mihi vix pertinere e. q. s. ita simpliciter antiquissimam, de qua constet, lectionem servari ratus. Denique Spaldingius ita locum restituit, ut admirabili modo, quemadmodum complura verba excidere potuerint, appareat, quum in aliis libris librarius a priore *necessaria* ad alterum aberraret omissis iis, quae interposita sunt, in aliis autem a secundo *sunt* ad tertium: hoc unum tantum minus mihi placet, quod contra codicum ordinem verborum *τεκμήρια vocant* mutavit. Itaque ita scribendum esse videtur: *quod eorum a. s. u. d. q. n. sunt, alia quae non necessaria. Priora illa sunt, q. a. h. s. n. p. q. Gr. t. vocant, ἅλντα σημεῖα e. q. s.**

9, 8. *quae etiamsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adiuta ceteris plurimum valent.* Scriptum ita est in codd. quamquam sententia videtur postulare, ut *adiuncta* corrigamus, quod paullo post § 10 sequitur in his: *ita ceteris adiunctum testimonii loco ducitur*: sed hic quoque in aliis libris invenimus *adiutum* (in aliis *aduictum*).

9, 9. Scribendum esse censeo, quod est in Ambr. 2. Bamb. Turic. Guelf. *Signum vocatur, ut dixi, non vocant.*

10, 1. *quia aliter non possumus, Graeco melius uti.* Displicet, quod novissimus editor ita scripsit, ut est in Ambr. 1. Turic. Flor. Goth. Voss. 2.: videtur enim nimis abruptum atque ab ea, cui studet Q., elegantia quam maxime abhorrere. Nullus dubito, quin legendum sit *usuri*, quod Bamb. et Guelf. codicibus commendatum a plurimis interpretibus probatum est.

10, 2. *id demum, quod pugna constet.* Optimi codices praebent *quo*, quod recipiendum esse puto.

10, 9. *Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferremus illinc aliquid*: ita scribendum esse e coniecturis Regii et Spaldingii monui in Jahni Annal. 1862 p. 645.

10, 10. In Bamb. solo scriptum est: *unde vergili*, altera manus *us* addidit. In prima lectione nulla offensionis causa. Eundem casum genitivum praeferendum esse VI, 1, 47. monuit Zumptius, quo auctore mutandum est: *et corpulenti litigatoris*; lenior etiam et necessaria emendatio eiusmodi Regii VI, 3, 9. *Erumpit etiam invitis saepe* (scil. *risus*), ubi in codd. exstat *invitus*.

10, 8. Duae sunt librorum lectiones, altera Ambr. 1. Turic. Flor. Alm. Goth. Bamb. sec. m. haec: *scilicet rationem per ea, quae certa sunt, incertis fidem non dubiam adferentem*, altera vero Bamb. pr. m. Guelf. *ut sit ratio p. e. q. c. s. fidem dubiis adferens*. Quum utraque ferri possit, posteriorem praeferemus, non solum fide librorum commoti, sed etiam ob hanc causam, quod verisimilius est hanc ortam esse ex priore, quam illam ex hac.

10, 17. *Ideoque Aristoteles — diligentissime est executus, quid cuique rei et quid cuique homini soleret accidere.* Negari non potest, quin *soleret*, quod e coniectura Spaldingii recepit Bonnellius, habeat, cur placeat, nempe „ob *executus* et id quod sequitur *conciliasset, alienasset, non conciliarit, alienarit.*“ Sed ne *soleat* quidem, quod Regius suspicatus est et Bamb. nititur, spernendum est.

10, 37. *Spectatur enim ad fidem probationis, montanus an planus*: Spaldingio assentior, qui maluit scribi *spectat*. Nam quod nimis caute idem adiecit: „Quamquam *spectantur* et supra § 28“ hoc nihil ad rem: est enim ibi: *Spectantur ante acta dictaque*, quod exemplum quo iure comparetur, equidem non video. Usitatissimam autem illam verbi *spectare* esse constructionem haec docent exempla: II, 4, 34. *Quae divisio ad laudem magis spectat.* 10, 15. *Quamvis enim omne propositum operis a nobis destinati eo spectet* cf. III, 5, 17. V, 12, 5. VI. Prooem. 16. X, 2, 27. XII, 10, 48.

10, 41. *Ante rates, inquit, agimus causam* legendum esse iam supra monui. Ita enim scriptum est in optimis codd. Bamb. Turic. Flor. neque ulla causa est, cur scripturam probabilem atque ea confirmatam auctoritate deseramus. In aliis libris habemus correctionem eorum, qui ordinem verborum ab ipso poeta discrepare noluerunt. Falsam autem esse hanc rationem

aperte cognoscimus e comparatione locorum a Quintiliano laudatorum, quae docet eum non ita anxie alios scriptores secutum sed saepissime liberiore ratione usum esse, praecipue vero, ut monui in Quaest. meis p. 12 in laudandis versibus Horatianis. Neque aliter eum agere, ubi dicta aliorum vel etiam proverbia in medium profert, per se patet. Itaque non dubito, quin recte iudicaverit Muretus scribendum esse VI, 3, 28. *Laedere numquam velimus, longeque absit propositum illud, potius amicum quam dictum perdendi* pro eo, quod in libris est *perdidi*. Attamen quum h. l. Bonnellius gerundium verbi, quod fere receptum erat, mutasset, in Prolegom. de gramm. Quint. p. LXVII aliis quibusdam locis miras constructiones gerundii fide librorum confirmare studet. Non est in animo ea repetere atque redarguere, quae vir doctissimus de VII, 1, 41. et XI, 3, 175. disputavit, quoniam ea recte ipse in editione sua mutavit, unum restat adhuc, quod minus recte se habere videtur. Legimus enim III, 5, 17. *Quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audendum*. Quid hoc? Scriptum ita est in Turic. Flor. pr. m. sed in Ambr. 2. Bamb. Guelf. Voss. *audienda*, unde nullo sane negotio id, quod desideratur, *audenda* efficias.

10, 54. Recedendum puto a scriptura cod. Turic., quam Bonnellius probavit atque reverendum ad eam, quam optime Spaldingius tuitus est: *Id aut universum verbis complectimur*, quae est in Bamb. Goth. Voss. 2. Bern. Quae quibus ex causis praeferenda sit, tam egregie hic exposuit, ut novi quidquam afferre nequeam: hoc unum tantum addo coniunctivum *complectamur*, qui est in edit. Bonnell. sed nullo modo ferri potest, inde videri ortum esse, quod in compluribus libris legebatur *ita ut*, unde coniunctivum pendere imperiti librarii maluerunt.

10, 56. Diversae h. l. haec potissimum sunt lectiones: in Ambr. 1. exstat: *nec quod virtus est utique potest esse iniustitia*, in Turic. Flor. *nec quod virtus est utique non potest esse iniustitia*, in Guelf. Goth. Voss. 2. *nec quod non est virtus utique potest esse iustitia*. Haec est ea, quae sententiarum nexui non male respondet. Docere enim vult scriptor genus ad probandam speciem minimum valere, plurimum ad refellendam: utrumque exemplis confirmat. Alterum est hoc: *non quia est arbor, platanus est*, alterum: *quod non est arbor, utique platanus non est*. Deinde id exemplum, de quo agimus, addit, quod ut plenum atque integrum esset, ita fingendum erat: *nec quod virtus est, utique iustitia est, at quod non est virtus, utique non potest esse iustitia*. Ita autem antiquitus scriptum fuisse mihi persuasi atque facile est ad intelligendum diversas librorum lectiones huic suspicioni magnopere favere: certe non necessariam, ut Spaldingius dicit, sed vix sufficientem existimaverim eam scripturam, quam e libris eruit Regius, et nonnullis codicibus confirmatam et plurimis probatam interpretibus, etiam Bonnellio, qui quidem e Bamb. assumpsit *vel*, pro quo equidem malo *at*: apparet igitur ab hoc aliisque priorem huius sententiae partem abesse: *nec quod virtus est, utique iustitia est*, in aliis vero (Turic. Flor.) et initium et finem superesse, intercidisse autem verba in medio posita: *utique iustitia est, at quod non est virtus*, quum ab altero *utique* ad alterum falso librarius transgrederetur.

10, 57. *Numquam itaque tolletur a specie genus, nisi ut omnes species, quae sunt generi subiectae, praemoveantur*. Ita scripsit Bonnellius et Ambr. 1. Flor. pr. m. Alm. Camp. secutus Quintiliano verbum, quod fere nusquam legitur, apud ipsum certe non reperitur, tribuit. Restituendum est *removeantur*, cum propter ceterorum librorum fidem, tum propterea quod hic est

quasi quidam terminus, qui saepissime deprehenditur, exempli causa I, 5, 34. III, 5, 5. 6, 57. V, 10, 68. VII, 1, 31. 3, 35. VIII, Prooem. 3. 31. XII, 1, 39. 11, 30. denique V, 10, 66. *argumentorum genus ex remotione*. Facillime autem inde error nasci poterat, quod praepositio compendio scribebatur: idem accidisse arbitror VI, Prooem. 16. *Nos miseri sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis praeparabamus, aliis relinquemus*. Si quid recte video, non aptum videtur verbum compositum, sed praestat simplex et scribendum *parabamus*, quippe quod non minus apte ad *facultates patrimonii*, quam ad *hoc opus* referatur. — Deinde *pro* et *prae* praepositiones in codd. commutatae sunt VI, 1, 31. ubi cum Bamb. aliisque codd. scribendum esse censeo: *praetexta C. Caesaris prolata in funere cruenta*. Eiusdem generis est, quod legimus V, 13, 4. *Plurimum autem refert, et quid protulerit adversarius et quomodo. protulerit* vetus correctio videtur esse, in codd. est *profuerit* (*profuderit* Alm). Itaque quum ad hanc traditam lectionem reverti debeamus, *profuerit* facilius ortum vel potius corruptum esse statuo e *proposuerit*, quam e *protulerit*, nempe ita, ut syllaba *po* post *p* omissa littera *f* mutaretur in *f*: quae frequenter in libris vix discerni possunt; *proponere* autem huic loco maxime convenit. Idem verbum e codd. restitutum est III, 3, 10. *quo facilius aures iudicum quae post proposituri erimus admittant, ne ius nostrum oderint*, quum antea legeretur *post dicturi*: sed quo iure *post* retineatur a Bonnellio, quod ab optimis libris abest, in aliis autem natum inde apparet, quod *pro* et *post*, quod utrumque compendio scribebatur, commutata sunt, non intelligo: quapropter equidem *post* delendum esse iudico. Male e codd. praepositionem *pro* retineri infra videbimus ad V, 12, 16. — Etiam praepositio *con*, quum in verbis compositis haud raro *c* scriberetur, saepius intercudit, praecipue ubi eam littera *c* sequebatur. Bene correctae sunt haec: VI, 2, 30. *Has quisquis bene conceperit* a Regio, — 33. *Quid? non idem poeta penitus ultimi fati conceperit imaginem?* a Spaldingio, — 3, 88. *Ei confine est, quod dicitur per suspicionem* et VII, 1, 1. *ordo recta quaedam collocatio* a Regio, compluribus libris assentientibus, denique VIII, 4, 16. *quod ferre et concoquere non posset* et XI, 1, 76. *si id causa concedit*, quod confirmatum est Bamb., a Spaldingio. Quibus locis duos adicio: nam VIII, 2, 19. scribendum esse: *Quidam. conmutatis in perversum dicendi figuris, idem vitium consequuntur* et mihi ipsi, quum cod. Turicensem conferrem, in mentem venit et Zumptium idem proposuisse postea cognovi. Denique nescio an praepositione omissa scribendum sit VIII, 3, 68. *alii in extremo complexu suorum haerentes*. (Simili modo *c* et *e* litterae commutatae sunt III, 1, 19. ubi in libris legitur: *apud ipsam eam dixi*, scilicet *eam* pro *eam*, in qua latet *causam*: hoc autem iam diu restitutum a novissimo editore non debuit mutari.) — III, 2, 90. scribendum videtur secundum Turic. sec. m.: *quod fingentibus frequenter accidit, non excidit*. — V, 13, 11. *tum enim toto corpore enitendum*, e Bamb. Guelf. Goth., non *obnitendum*. — 54. *si ista prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat*, e coniectura Regii, non *vocandum*. — 60. *Namque omnes fere — certis non inveniendorum modo argumentorum locis sed concludendorum quoque nos praeceptis adligaverunt*, e Bamb. Turic. Flor. non *illigaverunt*. — III, 1, 31. *deinceps, ne omnia enumerem, fama iudiciorum*, contra solum Ambr. 1. qui praebet *infamia*. — 36. *quarum altera mihi niti et magnopere confidere videbatur, non inniti*. — V, 10, 102. *ex antecedentibus et iunctis et insequentibus trahenda esse argumenta*, ex optimis libris, non *sequentibus*.

V, 10, 57. *Quod neque mortale est neque immortale, animal non est.* Ita nunc ex Ambr. 1. scriptum est nec multum interest, utrum ita, an mutato verborum *mortale* et *immortale* ordine scribamus: neutra enim ratione bona procedit sententia. Equidem hunc quoque locum admodum turbatum esse censeo: sententia non satis aperta est, nam mortale animal quid sit, manifestum est, quid sit immortale, non liquet. Neque enim eos audiendos esse censeo, qui id „ex opinione Platonis dictum esse volunt, qui deos quosdam animalia esse immortalia dicebat, ut Lunam, Solem et reliquos planetas“: quae nimis docta verborum interpretatio minime mihi videtur convenire loci simplicitati. Neque mihi probantur Gesneri et Spaldingii doctae disputationes ad II, 16, 12. *Et hercule deus ille, parens rerum fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate.* Ne hic quidem cogitandum est de sideribus, id quod voluit Gesnerus, nec de deis, „qui animantes sunt et ipsi“ quae est Spaldingii sententia, sed, ut luculentissime apparet ex iis, quae sequuntur, intelliguntur animalia, quae ibi muta, saepius etiam a Quintiliano muta atque irrationalia appellantur. Denique idem statuo III, 7, 6. de his verbis: *Quae materia praecipue quidem in deos et homines cadit, est tamen et aliorum animalium etiam carentium anima,* neque Spaldingio assentior, qui ad verba, de quibus modo disputavimus (II, 16, 12.) relegans „animalibus et deos annumerari et homines“ contendit. Iam vero, quid ipse sentiam, in medium prolaturus etiamsi non id, quod verum atque necessarium est, invenisse mihi videar, tamen acutioribus hominibus fortasse viam quandam ostendam. Docet igitur Q. speciem probare genus, non fere refellere, genus non posse tolli a specie, nisi ita, ut omnes species, quae generi sint subiectae, removeantur. Idque comprobaturus exemplo eodem mihi videtur uti, quod iam supra posuit. Quid enim simplicius, quid magis e consuetudine scriptoris, qui alterum quoque exemplum: *Quod iustitia est c. q. s. saepius repetit?* Exemplum autem, quod supra proposuit, hoc est: Homo est animal, mortale, rationale, genus est homo, species animal, mortale, rationale, haec igitur species removendae sunt. Quid igitur? Meo quidem iudicio ita scribendum est: *Quod neque mortale est, neque rationale, neque animal, non est homo* (vel ita: *Quod neque mortale est neque rationale animal, non est homo*). Id autem, quod proposui, facile e lectione codicum Turic. et Flor. (falso relata a Spaldingio: neque in sequenti paragrapho et post *proprie* omittitur in Turic.) *quod neque immortale est neque immortale animal est* et e ceteris libris, in quibus extrema verba haec sunt: *animal non est*, eruemus. Lacunam igitur hoc quoque loco deprehendimus, atque in aliis libris scriptis *non* et *homo*, in aliis tantummodo *homo* excidisse statuimus: quod facillime potuisse fieri, praesertim quum *homo* compendio scriberetur, nemo negabit. Etiam illud non ita raro videmus factum esse, quod hic factum esse suspicor, ut librarii falso praecedens verbum repeterent, quum aliud addendum esset, quod aut similiter inciperet aut finiretur, h. l. *immortale* pro *rationale*.

10, 58. *Proprium autem est, aut quod soli accidit — aut quidquid utique accidit, sed non soli.* Miro modo h. l. fluctuant libri *quod* et *quicquid* exhibentes. Primo loco in Alm. reperitur *quicquid*, nec tamen huius libri auctoritas editores permovit, ut reciperent: secundo loco in Ambr. 1. Turic. Flor. Camp., sed meo iudicio, quum amplificationis notio prorsus hinc aliena sit, ne hic quidem probandum: utroque igitur loco *quod* videtur restituendum esse.

10, 65. *Probationi interim satis est unum habere, hoc modo, Ut sit civis, aut natus sit oportet aut factus: utrumque tollendum est, Nec natus nec factus est.* Hoc modo Quintilianum scripsisse ut concedam, nemo mihi persuadebit. Duplicem lacunam viri docti iampridem non solum statuerunt, sed etiam expleverunt. Rectissime enim postulavit Regius, ut *probationi* verbum quale *neganti* opponeretur, nam probationi non utrumque tollendum esse per se manifestum est neque tam negligens Quintiliani est dicendi ratio, ut ea omittat, quae subaudiri nullo modo possunt. Hoc etiam Spaldingium plane fugisse magnopere miror, qui argutius quam verius „*probationi* et *tollendum* ita inter se opponi censet, ut grata existat structurae varietas pro simpliciori forma: ad probandum sufficit unum — ad refellendum utroque opus est“. Prorsus igitur illi assentior *neganti* ante *utrumque* addendum atque antea mutandum esse *probanti*. Iam vero quum plerumque diffidendum sit iis coniecturis, quae cogunt, ut alia quoque verba mutemus, h. l. equidem Regii emendationem palma dignam esse contenderim, quoniam aliud mendum, quod est in v. *probationi* detexit, minime enim placet substantivum hoc abstractum atque multo aptius videtur esse verbum. Levius est aliud: lacunam enim post *civis* existere inter omnes fere editores constat, facillime autem *quis*, quod desideratur, poterat excidere. Accedit, quod in Ambr. 1. Bamb. pr. m. Guelf. Bern. Par. 1. 2. 5. legitur *sit civis*, in Turic. Flor. pr. m. Bamb. sec. m. *sit quis*, unde verisimile est antiquitus fuisse in libris: *sit civis quis*. Quare mihi non videtur dubium esse, quin scribendum sit, quod etiam in veteribus editionibus reperimus: *Probanti interim satis est unum habere, hoc modo, Ut sit civis quis, aut natus sit oportet aut factus, neganti utrumque tollendum est.*

10, 66. *Si neque domi habuisti neque ab aliquo accepisti nec cetera: non credidisti; nec cetera*, quod omnes libri exhibent, a recentioribus editoribus parum recte receptum est: in multis veteribus editionibus invenimus *et cetera*, quod e coniectura natum magis mihi probatur; sexcenties enim a scriptoribus verba *et cetera* vel etiam *cetera* adduntur, „eum aliquid, quod facile intelligatur, subticemus,“ *nec cetera* num pari modo dicatur, magnopere dubito.

10, 69. *Fit etiam ex duobus, quorum necesse est alterum verum, eligendi adversario potestas.* Non debuit foedissimum hoc mendum, quod, quamquam omnes libri tuentur, sententiae prorsus repugnare docuit Regius, a recentioribus editoribus, in quorum numero etiam Spaldingius, repeti. „Sic quidem lectus, dicit ille, percipi non potest hic sensus. Quis enim verum eligendi potestatem adversario faceret? Quod si hoc modo corrigatur, ut *utrum*, e vocali in *t* mutam conversa, legatur ac verbum *velit* adscribatur, facile intelligetur.“ Itaque *alterum utrum* scribendum esse optime Regius suspicatus est: neque tamen hunc locum ita prorsus sanatum esse existimo, si eum secuti viri docti ita legi voluerunt: *necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas*, quum electio quidem bene necessaria appellari possit, parum autem recte eligendi potestas. Omnis autem difficultas, si quid recte video, simplicissime tollitur, si ita scribimus: *quorum concessa est alterum utrum eligendi adversario potestas.*

In eadem paragrapho abest ab omnibus libris manu scriptis pronomen *ei* ante *e manibus*; est autem in Cod. Palat. Gebhardi nec potest omitti. Deinde, quum in illo codice *erutum* reperiat, in aliis *eruptum*, vulgatam lectionem sequi malo, ut scribamus: *telum ei e manibus ereptum est?*

10, 73. *Si continentia virtus, utique et abstinentia: Si fidem debet tutor, et procurator;* plane abest vox *utique* ab Ambr. 1. 2. Bamb., in aliis fortasse latet (nam in Alm. Flor. reperimus

utriusque et, in Turic. *uirtusque et*), tamen quin recipienda sit, non dubito. Etiam Burmanno assentior, qui *debet post tutor* e Ciceronis Top. X, 42. repetendum scribendumque iudicat: *Si fidem debet tutor, debet et procurator*, (illie enim haec sunt verba: *Si tutor fidem praestare debet, si socius, si, cui mandaris, si, qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator*) et similiter paullo post Bestium secutus § 88: *Si adulterum occidere licet, licet et loris caedere*.

10, 76. *quamvis ex prioribus dent argumentum*, si quid mutandum est, quod voluit Zumptius, fortasse pro *dent* scribemus *ducent*, quod saepissime ita usurpatum est, cf. 23. 33. 37. 56. 90. 94. 95. 109.

10, 82. Ab initio huius paragraphi Regius non male excidisse putat: *qualia quae faciunt*, his usus causis: „praeceptum *quae utique talia fiunt, talia sunt* obscurius esse videtur, quam ut Quintiliani candori conveniat, supervacuum deinde neque admonitione dignum iudicari potest. Quis enim vel rudis dubitet ea, quae talia fiunt, talia esse?“ Itaque suspicatur: *Quae utique talia fiunt, talia sunt, qualia quae faciunt*: cui emendationi sane etiam quae subiiciuntur exempla adstipulantur: prius tamen *talia*, quod ab optimis codd. abest, deleri malo. Hanc igitur Regii coniecturam probabimus, nisi forte alio loco verba quaedam similia excidisse statuemus. Etenim § 86 hoc legimus: *Quidam haec, quae vel ex causis vel ex efficientibus diximus*, alieno nomine vocant *ἐξβίαστες*. Ubi hoc factum est? ex parte quidem § 80. quid igitur, si ea, quae videntur desiderari, hoc potissimum loco addimus? hanc ipsam autem vocem eligendam esse inde videtur apparere, quod etiam § 94. ubi diversa argumentorum genera, de quibus disseruit scriptor, enumerantur, *efficientia* commemorantur. Quapropter mea sententia scribendum est § 80: *Simillima est his argumentatio ex efficientibus, qua colligi solent ex iis, quae faciunt, ea, quae efficiuntur, aut contra, quod genus a causis vocant*. Ita autem omnia bene se habebunt.

10, 84. *et Philocteta Paridi, Si impur esses tibi, ego nunc non essem miser*. Haec verba nondum sanata esse videntur.

10, 89. *Si robur corporibus bonum est, non minus sanitas*. Ita non male Gedoynus loco consultit transpositis verbis *est non*: nescio an lenior sit ea medela, quam commendat Törnebladh l. l. p. 22: *Si robur corporibus bonum, est non minus sanitas*.

In eadem paragrapho haec leguntur: *Si domus aedificari sine ratione non potest, quid agenda si navalium cura et armorum?* Magnopere turbati sunt libri: in Bamb. est id, quod Regius coniectura assecutus esse videtur: *quid agendum in*. Quod quamvis ferri posse non negaverim, elegantiore tamen puto esse Burmanni coniecturam, qui vestigia optimorum librorum exhibentium *quid agenda si* vel *quid agenda in*, vel *quid agenda* secutus proposuit *quid? si agenda*. Aliud in his verbis latere mendum docuit Zumptius, etenim *armorum* commemorationem hinc alienam esse, melius autem convenire censet *armamentaria*.

10, 94. *Ergo, ut breviter contraham summam, ducuntur argumenta a personis, causis — initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus*. Res admodum levis est, quam profero, sed tamen digna, quam non prorsus silentio transeamus. Quid enim sibi vult *incrementis* plurali numero positum, quum reliqua nomina singulari numero ponantur atque idem singularis etiam § 75 legatur? (*habent enim omnia initium, incrementum, summam*) hinc igitur recipiendum esse *incremento* eo magis contenderim, quia idem etiam in Ambr. 1. invenimus. Gravius est,

quod in eadem enumeratione plane omittuntur *contraria*, de quibus disputatum est § 73. Quod non tam negligentia scriptoris, quam incuria librariorum excidisse credo: quare scripserim: *similibus dissimilibus, contrariis, pugnantibus*. Etiam *dissimilibus* ab Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. Alm. abest, *causis* ab iisdem et Camp., *iugatis* a Bamb. pr. m. Guelf. Voss .1. 3. quorum tamen nullum abesse posse patet, non magis, quam *contrariis*, quod etiam Rollinum desiderasse video, ut mirer, quod a solo Capperonnero probatum atque in textum receptum est. Denique habent etiam vv. *effectis* et *eventis*, quorum in antecedentibus mentio non est facta, cur displiceant. Confiteor me utrumque malle abesse, quum *effectis* ex *efficientibus*, *eventis* e *iugatis* ortum esse possit, sed quam sit importunum talia proponere, ipse non ignoro ideoque intactum hunc locum relinquere optimum esse iudico.

10, 109. *quomodo sit quod proposuerimus probandum*. Ita nunc e sola auctoritate cod. Ambr. 1. scriptum est: in reliquis libris legitur *proposueris*, quam formam propter id, quod paullo post sequitur *nisi provideris* praefero.

10, 115. *alia apud privatum iudicem in iisdem quaestionibus ratio, tum secundo gradu*. In nonnullis codd. deest *tum*, vel potius corruptum est, nam *rationum* in Ambr. 1. Turic. pr. m. Flor. Alm. Tamen hoc non magis abesse potest, quam *sit*, quod in Bamb. Turic. sec. m. post *ratio* insertum est; scribendum igitur: *ratio sit tum*.

10, 123. *Infinitam enim faciat ipsa res dicendi tarditatem, si semper necesse sit, ut temptantes unumquodque eorum, quod sit aptum atque conveniens experiendo noscamus, nescio an etiam impedimento futura sint, nisi*. Primum scribendum esse *ista res* e Iulio Victore in Quaestt. m. p. 22 suspicatus sum. Deinde autem extrema verba *futura sint* offensione non videntur carere: quaeritur enim, quid sit subiectum? Spaldingius intelligit *argumenta*, quae latent in *unumquodque eorum*, „praefereat *praecepta*, si diserta eorum mentio facta esset in prioribus“. Mihi neutrum probatur, neque enim illud sine magna difficultate elici potest e superioribus, probatur autem, quod ille refellit, subiectum esse *ista res*. Neque enim ita ieiunum videtur opponi *infinitam dicendi tarditatem facere* et *impedimento esse*, sed potius aptam gradationem inesse puto. Quod ut fieri possit, mutandus est pluralis numerus et scribendum *sit* aut (quod praefero) *ea* vox est delenda. Haec dicendi ratio Quintiliano non inusitata est, eandem habemus V, 13, 55. *nescio an etiam frequentior*. VI, 3, 6. *motu animi quodam nescio an enarrabili*. 8. *habet vim nescio an inperiosissimam*.

10, 125. Recte Törnebladh l. l. p. 22. redeundum esse censet ad *cogitationem* in his: *sic oratoris cogitationem nihil moretur haec varietas argumentorum*, nam *cognitionem*, quod neque libri manu scripti neque editi exhibent, errore typographico primum in editionem Spaldingianam videtur irrepsisse.

11, 3. *Nam illa, qua plurimum est Socrates usus, hanc habuit viam: cum plura interrogasset, quae fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset. Id est inductio. Hoc in oratione fieri non potest, sed, quod illic interrogatur, hic fere sumitur. Illa interrogatio talis: Quod est pomum generosissimum? nonne quod optimum? concedetur. Quid equus? qui generosissimus? Nonne, qui optimus? et plura in eundem modum. Deinde cuius rei gratia rogatum est, Quid homo? Nonne is generosissimus, qui optimus? fatendum erit. Hoc in testium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua dissimile est: etenim sibi ipse respondet orator. Quod etc.* Hic quoque locus vehementissime turbatus est:

nam ut ea transeam, quae nunc recte leguntur, primum videtur commemorandum esse in Bamb. pr. m. Guelf. Ambr. 2. non reperiri *inferebat*, sed *inferret* (similiter *inferret* in Goth.). Quod si probabimus, — neque quominus probemus, prohibet librorum auctoritas — facillimam coniecturam Badii *ut post viam* (pro quo minus recte *vim* proposuit Gesnerus) inserentis secuti Quintiliano bonam atque elegantem periodum restituemus, quum ea, quae nunc scripta sunt, proba quidem et perspicua sint, sed duritia quadam importunissima laborent. Sequitur in libris: *ut simile concessisse* (in paucis, nempe Bamb. sec. m. Flor. Camp. *concessisset*): quapropter Törnebladh l. l. p. 23. proposuit *ut simile concessis*, quae correctio, quamquam ad codices propius accedit, tamen nimis est dura, Regius inseri maluit *cui* post *ut*. Mihi simplicissima videtur ea ratio, quae ab editoribus fere recepta a recentioribus demum ommissa est: *ut cum plura — inferret, cui simile concessisset*. Proxima verba *Id est inductio* non carent offensione atque Spaldingius eam glossam esse ratus sibi displicere profitetur non tam propter structuram pronominis neutrius, de qua re plura infra ad 13, 1. afferemus, quam quod non sint necessaria haec verba, quippe quae in antecedentibus *Ille qua — est Socrates usus* contineantur. Hanc igitur ob causam „glossam esse suspicatur, allitam ad id, quod sequatur *Hoc*, ne quis haereret, quid in oratione fieri posse negaretur.“ Recte virum doctissimum ita iudicasse puto, neque tamen ita locum sanatum esse crediderim, sed etiam ea, quae sequuntur: *Hoc in oratione — sumitur* plane aliena ab hoc loco esse arbitror. Nam primum quidem ea est Quintiliani consuetudo, ut, quae exemplo indigeant, statim hoc ipso exemplo illustret atque explicet. Quid autem h. l. factum est? Priusquam exemplum addatur, ea verba, quibus sententiarum nexus incommode interrumpatur atque perturbetur, inseruntur. Iam vero, quae est horum verborum sententia? Plane eadem, quae postea repetitur, quum exponatur, quatenus ea inductio oratori adhibenda sit, his verbis expressa: *in oratione perpetua dissimile est*. Hoc autem scriptoris elegantiae quam maxime repugnat. Iam vero, si quaerimus, utri loco ea verba conveniant, secundo aptissima immo necessaria esse manifestum est. Illic per se otiosa cum antecedentibus male coniunguntur, hic cum praecedentibus bene cohaerent, illic non satis aperta sunt, etenim quo referatur v. *illic* ante *interrogatur* nemo dixerit, hic bona atque perspicua. Quo modo loco possimus mederi, infra ostendam. — Post *sumitur* verba *Sit igitur* absunt a Turic. Flor. pr. m. Alm. Camp. ideoque a recentioribus editoribus omittuntur, expleta est haec lacuna in ceteris eodd. etiam Bamb. Guelf. Flor. sec. m. quos sequi malo. — Denique liori scripti non praebent *etenim*, quae est Regii coniectura ab omnibus editoribus comprobata, sed *aut enim*. Cante, ut solet, Spaldingius in hac emendatione acquiescendum esse arbitratur, „nisi forte in sequentibus interciderint plura“. Hoc autem factum esse equidem statuo. Verba *aut enim* antiquitus scripta esse puto, ex quibus quaecumque argumentum ad eam, quam profero, suspicionem stabiliendam repeto. Mea enim opinione in archetypo ita scriptum erat: *aut enim sibi ipse respondet orator, aut quod illic interrogatur, hic fere sumitur*. Exciderunt igitur verba *aut quod i. i. h. f. sumitur*. Quid mirum? nempe sexcenties hoc in eodd. librorum incuria accidisse videmus, hoc autem loco eo facilius fieri potuit, quoniam ommissa particula *aut* librarius ab insequenti *quod* ad id, quod paullo post sequebatur *Quod* aberravit, ea vero, quae interposita erant, omisit. Credibile autem est ea verba in margine fuisse notata atque ab ignaro librario, qui fideliter ac religiose quaecumque invenit, servavit, qui glossas *Id est inductio* et *Hoc in oratione fieri non potest* secure e margine

in textum recepit, nec satis accurate nec apto loco addita esse. Itaque totus locus videtur ita scribendus esse: *Nam illa — hanc habuit viam, ut, cum — inferret, cui simile concessisset. Sit igitur illa interrogatio talis — Hoc in testium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua dissimile est: aut enim sibi ipse respondet orator, aut quod illic interrogatur, hic fere sumitur. Quod.*

11, 10. *Laudabilior in femina quam in viro virtus.* *Laudabilior* est in Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m., in Bamb. Guelf. aliisque *admirabilior*. Patet, quid sit praefendum. Neque enim hoc voluit Quintilianus dicere virtutem feminae summa laude dignam ideoque expetendam esse, sed in hac eam magis apparere, quippe quae rarius inveniatur atque quam a natura feminae aliena sit, ob hanc ipsam causam maiorem hominum admirationem et excitare et mereri. Itaque sola vox *admirabilior* videtur probanda esse.

11, 13. *fit enim genere, modo, tempore, loco ceterisque.* In optimis codd. Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. Guelf. aliisque legitur *ceteris*, quod recipiendum est et hic et VI, 3, 24. ubi *ceteris* omisso *que* Ambr. 1. Bamb. Turic. Flor. exhibent.

11, 16. Post *aut L. Opimius* e Cicerone inserenda esse verba *aut C. Marius* censui in Quaest. m. p. 17. Quae ad hanc coniecturam adiuvandam proferri possint, ibi attuli: quae nunquam ita sint comparata, ut viris doctis persuadeam, ipse iam dubito.

11, 22. *Proximas exempli vires habet similitudo.* Lectio librorum manu scriptorum *exempli* inde exorta, quod *Proximas* referebatur ad *clitellas*, ut docuit Regius, nullo modo ferri potest. Idem proposuit *exemplo*, quod receptum est a plurimis editoribus, magis etiam placet, quod commendavit Spaldingius *exemplis*, quum verisimilius sit *s* litteram excidisse, quam *o* abiisse in *i*.

In eadem paragrapho quo iure aut qua auctoritate scriptum sit: *sic eiusmodi iudices infestum reo venerunt*, plane non assequor: omissum est verbum (*venerunt*) in Bamb. Guelf. Voss. 1. 3. sed in margine Bamb. additum est *venerant*, in Turic. et Flor. exstat *venerante*. Restituendum igitur *venerant*, a qua forma eo minus est recedendum, quod sic etiam apud Ciceronem (pro Cluentio XXVII, 75.), unde haec verba sumta sunt, legitur. Ceterum *venerunt* etiam in editionibus Zumptii et Wolfii invenimus.

11, 23. *quod natura adfert* in omnibus codd. scriptum est. Rectissime correxit Regius *fert* eumque doctissimi interpretes et Ciceronis et Quintiliani secuti sunt: cur novissimi ad perversam scripturam reversi sint, difficile est intellectu.

In extrema hac paragrapho legimus: *sed et a multis atque etiam inanimis interim huiusmodi ducitur*: quae omni elegantia destituta esse neminem fugiet. Ab optimis libris abest *et*, quod quibus praeter Flor. sec. m. nitatur nescio. In Iens. eius loco satis magna lacuna, pro qua Tarv. dat *παράβολή*. In Gryph. editione primum reperitur *et*, quod omnes deinceps editores receperunt: mihi simplicissima videtur ea medela esse, ut verbo *etiam* transposito scribamus: *sed a multis etiam atque inanimis*. Aliud autem vitium est in his verbis, deest enim subiectum, quare Francius ante *ducitur* inseri voluit *comparatio*, Spaldingius *aliquid*: utrum sit praefendum, in medio relinquo.

11, 24. *quoniam similitum alia facies in alia ratione: alia pro tali*, quod Spaldingius scribendum esse suspicatus est, confirmatur non solum Ambr. 1. qui exhibet *talia* cum signo mendi, sed etiam Turic. et Flor. quorum lectio *taliaratione* in editionibus non commemoratur.

11, 32. *ut Cicero in Topicis, Ei, cui domus usus fructus relictus sit, non restitutum heredem, si corruerit.* Ciceronis verba Top. III, 15. haec sunt: *Si aedes eae corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum ususfructus legatus est, heres restituere non debet nec reficere:* quae paullo liberius, ut saepius factum esse videmus, Quintilianus laudavit. Neque vero plane ita, ut supra posui, in codd. scriptum est, nam primum quidem in Turic. Flor. pr. m. est *cum euidemus*, in quibus nihil aliud latet, nisi *eum cui domus*, quod exhibent Ambr. 1. 2. Bamb. Deinde in Bamb. pr. m. Guelf. Bern. Voss. 2. 3. aliis exstat *restitutum*, in reliquis fere *restituat*, quod nescio an huc ex sequentibus transierit. Denique omnes libri manu scripti, excepto fortasse Ambr. 2., praebent *heredi*: qui codicum consensus postulare videtur, ut, si fieri possit, hoc in textum reponamus. Quare Regii correctionem aspernatus ad eam scripturam redire malo, quae in veteribus quoque editionibus reperitur: *Eum, cui domus usus fructus relictus sit, non restitutum heredi*: quam quominus veram esse censeamus, nihil impedit. Nam, quum memoriter laudaret Quintilianus, ut recte monet Spaldingius, contrariam rationem ponere potuit, quoniam comparatio eadem est.

11, 35. *quin immo ex contrario. quin* videtur delendum esse, quoniam abest a libris, etiam Bamb. Flor. Turic. pr. m. Nam, si recte notavi, hic praebet *inimo*, a sec. m. *quin immo*. Neque magis necessarium, quam h. l. *quin*, est III, 2, 111. *eum*, quod e coniectura reposuit Regius in his: *Ceterum cur ego iudicem nolim, dum eum doceo, etiam movere?* Omnes codices exhibent *ego*, quod, quum paullo antea legeretur, a librario falso repetitum est: hoc igitur delendum neque aliud verbum pro eo inserendum est.

11, 43. *dictum aliquid aut factum.* Bene correxit hanc codicum scripturam Regius, qui, quoniam *dictum* et *factum* substantiva sint, maluit scribi *aliquid*, quam coniecturam probatam ab editoribus parum recte Bonnellius reiecit.

12, 11. *Quod dicis, inquit, te non fecisse, ego feci?* Quae huius responsi sit sententia, non minus constat, quam id his verbis non potuisse exprimi. Respondere enim debuit: *Quod dicis te non facturum fuisse*, quod ab eo, quod nunc legimus, plurimum differt. Haec sola causa eam scripturam suspectam facere debet; accedit, quod auctoritate codd. non adiuvatur, sed refellitur: nam etiamsi *quod dicis* in optimis fere libris legitur (*quod igitur* in Bamb. Flor. sec. m.), quae sequuntur verba *te non fecisse* in Ambr. 1. tantum, Turic. sec. m. Flor. pr. m. inveniuntur (in Turic. et Alm. *fecisses*), in Bamb. et sine dubio in compluribus aliis, id quod requirimus, *tu non fecisses*. Itaque non dubitabimus vulgatam lectionem, quae optime sententiae respondet atque ab omnibus fere editoribus comprobata est, veram existimare: *Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci?* Nulla in verbo *inquit* scripturae varietas, quod etiam VI, 1, 43. e coniectura Regii restituendum est: *Non mehercule, inquit, faciebam, sed sic scripsisti.* Plane otiosa est coniectura Bonnellii *quidem*, in codd. scriptum est *quidni*, quod facillime poterat corrumpi ex *inquit* (in Turic. saepissime *inquit*).

12, 14. *Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco — an summo — an partita primo summoque — et animis crescant.* Quod e compluribus libris recepit Zumptius *animis crescant* minus placet, videntur autem hae sententiae inter se opponi: quaeritur, potentissima argumenta primone loco sint ponenda etc. an minima praeponenda; itaque

proxime accedere ad veritatem puto scripturam Ambr. 1. sec. m. Turic. Flor. Guelf. Alm. Camp. aut a minimis, praeterea autem probandam emendationem Regii an pro aut reponentis.

12, 16. *Nam et fere apparet — quid pro teste amico dicendum sit.* Quam bonorum librorum scripturam Bonnellus veram atque genuinam, eam Spaldingius correctionem esse censuit, nempe ab iis factam, qui putarent *inimico testi* opponendum esse *amicum testem*, sed inanem eam esse concinnitatem, communem locum certe utrumque complecti. Idem docet, quam facile haec lectio potuerit corrumpi ex altera (quae est in Guelf. Bern. Par. 1. 3.) *in potentes amicos*, ad quam prope accedunt Ambr. 2. in quo *potentes amicos* omissa praepositione *in* et Bamb. in quo *potente amico*.

12, 23. *Nunc illud male est.* Non spernendum est *mali*, quod Turic. et Flor. exhibent neque qua auctoritate *male* nitatur, cognoscere potui, quoniam in editionibus nulla variarum lectionum mentio facta est.

13, 1. *Et hoc est proprie, cui in causis quartus adsignatur locus.* hoc quod libri praebent, ferri sane potest, quum haec structura pronominis neutrius saepius reperitur: I, 10, 35. *Id vulgaris opinio est.* — V, 11, 3. *Id est inductio*, de quibus quid sentiamus supra p. 25 exposuimus, — V, 13, 8. *id est translatio*, quam Spaldingius glossam esse arbitratus est. — VII, 8, 2. *Id erit finitio.* Num omnibus his locis tradita scriptura sit retinenda, admodum dubito, neque vero dubito, quin refellendum sit studium hanc ipsam pronominis neutrius formam in alios quoque locos transferendi. Hoc enim bis factum est V, 14, 19. *Insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex? hoc intentio: Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? hoc ratio.* Nam primo loco sane optimorum librorum Ambr. 1. Bamb. Turic. Flor. lectio est *hoc*, quem errorem inde ortum esse crediderim, quod verbum praecedens non erat *nex*, sed praepositio *ex*, quam rectius librario ablativus casus videbatur sequi, secundo autem loco *hoc* in solo Ambr. 1. invenitur, in reliquis *haec*: ita vero utroque loco recte corrigemus.

In eadem paragrapho non indigna videtur, quae commemoretur, lectio Turic. et Camp. *in hac parte dici potest*: unde suspicari licet antiquitus in his libris, fortasse etiam in aliis exstitisse *duci*, quam lectionem admodum probabilem esse censeo. Sed quoniam *peti* ceterorum nititur auctoritate, tutius erit hanc retinere.

13, 3. *Accusator criminum invidia, vel si falsa sint, materiam dicendi trahit.* Gesnerus et post eum Spaldingius praepositionem deesse non posse animadverterunt: itaque cum Spaldingio aptissime et facillime scribemus: *e criminum invidia*. Saepius quidem praepositio, quum a compluribus vel etiam omnibus libris scriptis abesset, a viris doctis non sine magna veri specie addita est: hic tamen vel illic nunc quoque desideratur. Ita fortasse legendum est V, 10, 7. *eadem de causa*, contra codd. deinde *enthymema a syllogismo*, e Bamb. pr. m. Guelf. — 29. *habitus quidam animi, in quo tractatur*, e coniectura Spaldingii. — 105. *cum in omnes* et 12, 11. *locuti sumus in prooemii et suasoriae praeceptis*, utrumque auctore Regio. — VIII, 3, 14. *Nam et in suadendo sublimius aliquid senatus, concitatus populus, et in iudiciis publicae capitalesque causae poseunt accuratius dicendi genus*, ut coniecit Gesnerus. — 79. *sic apud nos videmus*, suspicatus est Cobet. — XI, 1, 77. *Accidit etiam nonnumquam, ut ea de causa, de qua pronuntiavit, cognoscat iterum*, ubi est in libris: *eadem causa*. Reliqua ita, ut scripsi, e vestigiis librorum mser. certissime

restituenda et iam pridem restituta sunt. — Non satis recte videtur positum esse *usque* I, 10, 30. *Cum vero antiquitus usque a Chirone atque Achille ad nostra tempora*, nam in compluribus codd. etiam Bamb. Turic. bis ponitur et ante *a Chirone* et ante *ad nostra*. In Flor. priore loco omittitur, quod videtur probandum esse: ita autem ut scribamus, etiam auctoritas codd. Bamb. et Turic. postulat: utroque enim loco *usque* recte scribi vix puto quemquam concessurum esse: quare quum alterum delendum sit, non potest dubium esse, quin id librariorum culpa in textum irrepperit, quod a consueta collocatione abhorret.

13, 4. Quum fluctuet codicum scriptura, vel *arcessere* vel *accersere* dantium, videtur operae pretium esse quaerere, utra magis commendetur. Hoc autem iis, quibus utimur, libris vix decerni poterit, nam neutram verbi formam praevalere videmus. Hoc igitur loco scriptum est *accersitum*, in Turic. Flor. Goth. Camp. *arcessitum* in Bamb. — II, 4, 3. *accersitis* Goth. Iens. — 31. *accersunt* Ambr. 1. Goth. — — V, 11, 42. *accersuntur* Goth. Iens. Camp. (*arcessuntur* Flor.) — — VII, 2, 25. *accersit* Turic. — 3, 33. *arcesserit* Ambr. 1. Turic. Flor. Guelf. Camp. — — VIII, 6, 7. *accessitis* Turic. (*accersitis* sec. m.) — — VIII, 3, 74. *arcessitan* Turic. (*arcessita* sec. m.), *accersitam* Flor. — 4, 147. *arcessisse non accersisti* Turic. *arcessisse non arcessisti* Flor. *arcessisse* Guelf. *accersisse nec accersiti* Goth. — — X, 1, 78. *arcessitum* Turic. — — XII, 10, 40. *arcessit* Turic. Flor. Alm., *accersiti* Bamb. pr. m. Reliquis locis VIII. Prooem. 23, 3, 56. 6, 48. X, 2, 27. nulla commemoratur librorum varietas.

13, 13. *Urent universa. At si singula quaeque dissolveris, iam illa flamma, quae magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidet.* Ita scripsit Bonnellius, parum recte meo quidem iudicio. Quid enim verba *urent universa* significant? Nempe ardebunt universa, si tali modo verbo *urere* uti liceat. Quid opus est futuro? At quid multa? Neque enim in codd. ita scriptum est atque nostrum erit ante omnia, quod in his reperimus, intueri et examinare. In Ambr. 1. exstat *ungunt* (*iungunt* a sec. m.), in Alm. *ningunt*, in Turic. Flor. *urgunt iungunt*, in Bamb. pr. m. aliisque *urgent*, quod vulgo receptum aptissimum esse patet, qua de re complura monui in Philol. 1862. p. 507. Hoc igitur tuendum neque ad coniecturas esse confugiendum plane mihi persuasi: ceterae variae lectiones fortasse inde ortae sunt, quod hoc verbum littera *u* post *g* addita scribebatur: hoc ipsum enim factum esse videmus XI, 3, 94. ubi *urquet* in Ambr. 2. Turic. et 102. ubi *urguentis* in Turic. Flor. invenitur. Non male autem Spaldingius dicit videri sibi inconsultam similitum litterarum iterationem, qualis haud raro in codd. occurrit, nam in eadem hac paragrapho est in Turic. Flor. *concidet continetur ut, 20. propositionibus aut rationibus* in Bamb. Flor. 25. *orationem rem* in Turic. pr. m. Iam vero, quum duo vocabula in textum recepta essent, factum est, ut librarii inseci alterum, quod sensu careret, eligerent. Quae res, quamvis videatur simplicissima esse, tamen non semper difficultate caret, neque ubique nullius est negotii verum ac falsum diiudicare, itaque cavendum, ne ea quoque, quae vera sunt aut in quibus certe verum latet, deleamus, quod accidisse puto VI, 3, 38. Nam quum scriptum sit in aliis libris *qualem se tamen ostensurus esset*, in aliis (etiam Turic.) *qualem talem s. o. e.* in aliis vero *tamen* desit, rectius mihi quidem videtur iudicasse Regius, qui pro *tamen* reposuit *tandem*, quam ii, qui hoc verbum prorsus deleverunt. Eandem huius vocis correctionem proposuit Madvigius, qui X, 6, 4. suspicatur scribendum esse: *Eo tandem pervenit, ut.*

13, 14. *ut, si multas causas faciendi, quibus arguit reum, dicit accusator fuisse: nos, non enumeratis singulis semel hoc intuendum negemus.* Magnopere vereor, ut haec ultima verba bene se habeant neque tamen, qua ratione iis medendum sit perspicio, nisi forte scribendum: *semel hoc in universum negemus.* Prorsus autem iudico reprehendenda esse superiora *quibus arguit reum*: nam pronomen relativum ad *causas* referre oportet, quod quid significet non puto. Desideramus autem obiectum verbi *faciendi* idque simplicissime consequemur si id, quod omnes codd. praeter Ambr. 1. exhibent *quod arguit* probamus. Melius igitur, immo necessarium videtur ad vulgatam lectionem redire hanc: *quod arguit reo*, quamquam *reum* est in Ambr. 1. Turic. Flor. Alm.

13, 19. *Cetera, quae proponuntur, communes locos habent.* Hic locus nondum sanatus est, certe de locis communibus non cogitandum. In optimis libris Bamb. Turic. Flor. Guelf. Goth. Ambr. 2. legitur *communis habet*, in Alm. Voss. 1. 2. *communes habuit*. Inter utrumque insertum est *ratio* in Par. 1. Camp. in aliis *locos*, quod fere a veteribus editoribus probatum est. Spaldingius, qui recte docuit locos communes hinc alienos esse, scribi maluit *ratio*, quod facillime potuisse excidere pluribus exemplis demonstravit. At ne hoc quidem verum esse censeo, quoniam durius est dictum, quam quod Quintiliano tribuamus: equidem antiquitus scriptum fuisse puto *communis habitus*; *habitus* saepius in libris corruptum est et facillime corrumpi potuit in *habet* vel *habuit*, neque admodum obstat, quod, ut ita scribere possimus, mutandum est *cetera* in *ceterorum*, praesertim quum Turic. pr. m. praebeat *ceteramque*.

13, 33. *Ipsam enim Gnacum Egnatium, quem tu gravem esse vis* in Quaest. m. p. 19 proposui, ut legitur etiam apud Ciceronem pro Cluentio XLVIII, 135. quum in optimis codd. *genus egnatium* vel *genus enagium* legatur.

13, 38. *suntque utiles ad conciliandum iis, quos invisos facere volueris, odium.* Nescio an praeferendum sit *concitandum* et hic et VI, 2, 16. cum Iens. et plurimis editionibus.

13, 41. *si callide quid acuisse, breviassse, obscurasse, distulisse dicuntur.* Quod scripsit Bonnellius, est sane in omnibus libris (acuisse Turic. Goth.), tamen reiiciendum esse iterum iterumque demonstraverunt interpretes: verum atque necessarium, quod etiam Bamb. exhibet, iamdudum Regius invenit, nempe *tacuisse*.

13, 44. *Ridiculum est ergo in exercitationibus, quae foro praeparantur, prius cogitare quid.* Non caret offensione *v. praeparantur*: quae enim verborum est sententia? num exercitationes re vera foro praeparantur? Quod statui nequit, nemo enim orationes exercitationis causa scriptas vel habitas in foro habebit. Quid igitur? Agitur de iis exercitationibus, quae foro praeparant ideoque scribendum: *quae foro praeparant.* Similiter II, 10, 8. *Nam si foro non praeparat: aut scenicae ostentationi aut furiosae vociferationi simillimum est* et X, 7, 19. *exhortandis in hanc spem, qui foro praeparantur, utile exemplum.*

13, 50. *At in scholis recte plenioribus et contradictionibus occuremus, ut in utrumque locum, id est primum et secundum, simul plurimum exerceamur.* *plurimum*, quod minime desideramus, quodque a Bamb. aliisque libris abest, deleri malo: invenitur autem in Turic. Flor. Camp. Prima pars eius, quam supra scripsi, enunciationis nondum videtur sanata esse, neque ego inveni, quod in medium proferre audeam. Libri scripti exhibent *pleneribus* vel *enaribus*, unde Gernhardius suspicatur „scriptum fuisse *recte plenioribus et contradictionibus*, oppositis certis et brevioribus

§ 49. et 42. quibus facillime responderi possit. cf. VII, 3, 23. et 24. *fnitio parum plena* et XII, 10, 66. *Nam et subtili plenius aliquid et subtilius*. Ita non opus est *probatationibus* neque *interpellationibus* in edd. vett. inepte positis atque apparet *primum locum* esse *contradicens*, secundum *respondentis*.⁶⁶ Possimus sane acquiescere in hac interpretatione, sed non praetermittendum est, quod istud verbum a Bamb. pr. m. abest, in Guelf. autem lacuna minor post *plenaribus*, maior post *et* reperitur: quod accidere solet, ubi graecum vocabulum omissum est. Nihil attinet enumerare, quo modo viri docti huic loco mederi conati sint, maxime autem Spaldingio assentior, qui „proletariam *ῥόισιν* esse ratus eicere vocem portentosam eum orationem emendaturum esse censet, qui graecas aliquas voces invenerit lacunis illis Guelferbytanis inserendas.“

13, 51. *Est et illud vitium magnum sollicite et circa omnia momenta luctantis*. Non satis recte *magnum* appositum est ad *vitium*; satis est *vitium*, supervacaneum *vitium magnum*, non autem sufficit *sollicite* tam nude positum, neque enim *sollicite* agere opprobrio erit, sed nimis *sollicite*, de qua re cf. III, 1, 33. Itaque *nimum*, quod est in Bamb. pr. m. Flor. sec. m. aliisque verum esse duco, e quo *magnum* (Turic. Flor. Alm. Camp.) vel *maum* (Ambr. 1.) corruptum est. Totum autem locum ita malo scribi: *Est e. i. v. nimum sollicite* (quod exhibent Ambr. 1. Turic. Flor. pr. m. Alm., *solliciti* Bamb. pr. m.) *et circa omnia momenta luctari* (pro quo, si codd. adstipularentur, mallet *periclitari*). Scriptura codicum non est *luctari* sed *luctantis*, quod ex illo eo facilius poterat enasci, quod proximum verbum *suspectam* ab *s* littera incipit. Structura horum verborum, quae Spaldingius recte ita explicat: „Solet committi etiam illud cet.“ incommoda quaedam laborat duritia, quam ratione proposita vitari posse existimo.

13, 56. *Quamlibet enim sint ad dicendum, quod volumus, adcommodata*. Summam veri speciem habet coniectura Regii *ad docendum* i. e. ut ipse explicat, *ad probandum*, quem merito plurimi editores secuti sunt.

13, 59. *Haec accidunt his qui praecipiant, qui ipsi non dicunt in foro*. Verba *accidunt his qui* e solo Ambr. 1. in textum recepta, tam aperte glossatorem produunt, ut, praesertim quum huius libri auctoritati saepissime diffidere coacti simus, tutius in vulgata lectione acquiescamus. Idem faciendum esse statuo in compluribus locis et quarti et sexti libri, quorum maximus numerus secundum hunc potissimum codicem parum recte mutatus est. Etenim scribendum est; III, 1, 11. *Nam in iudicem ne quid dicatur non modo palam, sed quod omnino intellegi possit*, omissa v. *ne* post *sed*, quam solus praebet Ambr. 1. (*sed quod ne omnino* Flor. sec. m.). — 13. *Multum agit sexus*, non *multo magis sexus* cum Ambr. 1. in Turic. pr. m. *multum ait*, quod et hic et saepius sec. m. recte correxit. — 49. *descenderit: deinde ostendit*, non *inde* cum solo Ambr. 1. — 56. Nec minus *diligenter, ne suspecti simus in illa* (ita coniecit Regius, in libris *ulla*) *parte, vitandum est; est* non praebent Ambr. 1. Turic. Flor. Alm. — 64. *sensus aliquis et is acrior fit*, contra solum Ambr. 1. in quo *hic*. — 67. *tum enim vere aversa videatur oratio et languescat vis omnis*, non *languere* secundum eundem. — 2, 36. *aperta ac dilucida* ex Ambr. 2. Turic. Flor. non *atque* (Prooem. 6. *variae atque multiplices* secundum Ambr. 2. Turic. Camp. pro *ae*). — 59. *Frigida videntur ista plerisque*, ubi *frigere* solus praebet Ambr. 1. — 80. *Atqui constabit*, e coniectura Regii, non *Atque*. — 89. *Sed utrumcumque erit, prima sit cura*, quod pro *curarum* proposuit Spaldingius — 120. *et atrociam invidiose et tristitia miserabiliter dicere licebit*, non *decebit*,

quod suspicatus est Regius. — 125. *Ne illud quidem praeteribo* e Bamb. pr. m. contra Ambr. 1. Turic. ceteros, in quibus *Neque*. — 3, 9. *Est hic locus velut sequentis exordium*, quod praebet Turic. sec. m. Par. 2. pro *exordii*. — 12. *expositio quarundam rerum gestarum vel etiam fabulosarum*, contra Ambr. 1. Turic. Flor. qui pessime dant: *ut laetitia fabularum*. Halmius e Iulio Victore proposuit: *licet etiam fabulosarum*, Spaldingius *vel etiam fabularum*: id quod supra scripsimus, habemus apud Cassiodorium in libro de rhetorica p. 502, 37 (Halm). Ibidem paullo antea nescio an ita scribendum sit: *Egressus est vel egressio, hoc est παρέξβασις, cum intermissa parumper re proposita quiddam interseritur delectationis utilitatisve gratia*, ubi nunc legitur *parum*. — — VI. Prooem. 3. *Tunc igitur optimum fuit*, e coniectura Regii, quum libri praebeant *nunc*. — 1, 14. *securus sit, quia non*, e Turic. pr. m. aliisque pro *quae*, quod est in Ambr. 1. Flor. — 25. *Patronum nudae tantum res movent. At cum ipsos loqui fingimus, ex personis quoque trahitur adfectus*: haec codicum scriptura magnopere displicet, neque tamen habeo, quod proponam. — 32. Scribendum e coniectura Conradii: *depictam tabula sipariove imaginem rei, non supra Iovem* cf. Philol. XVIII. p. 505. Novissimo tempore proposuit Nolte in Philol. *tabula iuxta actorem vel depictam fabulam in sipario vel*. — 2, 14. *hic enim tantum concitari, illic etiam affici decet*, auctore Spaldingio pro *debet*. — 3, 7. *timide dicta ac facta cum bonis libris, non aut.* — 80. *ibi tam longae nascuntur* (scil. *murenae*), *ut iis piscatores pro restibus utantur* e coniectura Regii, non *cingantur*. — —

V, 14, 17. e solo Ambr. 1. Bonnellius scripsit: *Sed tum est necessaria illa summa conexio, cum intervenit ratio longior*, ubi ceteri codd. praebent *oratio largior*: mihi quidem placet *longior*, displicet *ratio* (quod etiam postea assentientibus libris pro *oratio* restitutum est), quare eam scripturam, quam complures antiquae editiones tuentur, *oratio longior* praefendam esse statuo.

14, 20. Recte Gesnerus verba *sed omnia haec tria sunt* glossam esse censet; nam quum paullo antea dictum esset: *tribus occurritur modis, id est, per omnes partes*, idem his verbis non debuit repeti. Neque Spaldingio assentior addita ea esse a scriptore opinanti, ut suam epichirematismis partitionem urgeret, ne forte quis crederet infinitam esse hanc universitatem.

14, 22. *Conclusio autem aut vera negatur*. In corrupta lectione optimorum codd. *quod nescio autem uera* nihil aliud latere nisi id quod proposuit Regius: *conexio aut* vel *conexio autem aut* neque vero *conclusio* e Iulio Victore recipiendum esse in Quaest. m. p. 21. exposui: ibidem e Iulio Victore scribendum esse 14, 33. *qui semper argumenta sermone puro et dilucido et distincto ceterum minime elato ornatoque putant esse dicenda* suspicatus sum.

In eadem paragrapho legimus: *nam qui curavit, ut vim afferret*. In codd. fere *ne vim* (Ambr. 1.) vel *ut ne vim* (Ambr. 1. sec. m. Bamb. Turic. Flor.) praeterea *adferat* Turic. Flor. cett. Non male Spaldingius proponit: *curat ut vim adferat*, quod etiam simplicius est, quam id, de quo aliquando cogitavi: *curabit ut vim adferat*.

14, 28. *Namque illis homines docti*. In bonis libris plane ita scriptum est (pro quo Rollinus maluit *illic*), sed recte mihi Spaldingius dubitare videtur, num ablativus *illis* ommissa praepositione *in* hac ratione usurpari possit. Itaque ad vulgatam lectionem *illi* redire malo ob eandem causam, quae a viris doctis comprobata est, quoniam sic optime vv. „illi homines docti et inter

doctos verum quaerentes“ opponuntur iis, quae paullo infra sequuntur: „Nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio.“

14, 32. *Nonne apud Demosthenem paucissima huius veneris vel artis reperiuntur?* Quod olim suspicatus sum (Z. f. d. A. W. 1856. p. 126) *huius severitatis*, ne nunc quidem spernendum esse iudico (cf. quae de *severa compositione* Demosthenis VIII, 4, 63. dicta sunt). Deinde sequuntur haec: *non hoc solum peius faciunt*: in optimis codd. *nos* ante *faciunt* inseritur, quapropter ad vulgatam scripturam probatam etiam compluribus libris: *nam hoc solum peius nobis faciunt* revertendum esse puto. In Turic. aliisque libris est *peis*, in quò nihil aliud nisi *peius* latet: eodem compendio scriptum est *satius* VI, 5, 5. quum optimi libri Ambr. 1. Bamb. Turic. Flor. praebeant *satís*.

14, 35. *Hic tamen habendus istis modus. hic* Bonnellus e solo Ambr. 1. reposuit, in ceteris libris manu scriptis reperimus *his*, unde non male Spaldingius: *Is tamen habendus istis modus*: quamquam magis placet, quod suspicatus est Burmannus: *His tamen habendus* (vel *adhibendus*) *iustus modus*.

His adiicio complura, quae meo iudicio secundum Anecdota Parisina rhetorica, edidit Fr. A. Eckstein (Halle 1852), apud Quintilianum mutanda sunt. Scribendum igitur puto VIII, 3, 52. *qua maxime deprehenditur carens arte oratio*. — 6, 37. *et insulas* (non *et νῆσους*, ut supra p. 19 scripsi). — 40. *si sine illo id, quod dicitur, minus est*. — 43. *Nam si dicis, Ille qui Carthaginem et Numantiam evertit, erit antonomasia; si adieceris Scipio: adpositum*. Illic enim legitur p. 10, 27 sic: *si dicis ille ille qui cartaginem et nomantiam evertit erit antonomasia diceris scipio erit appositum*. Hanc collocationem verborum *Carthaginem et Numantiam* etiam alii libri praebent atque conferenda sunt § 30 haec: *eversorem quoque Carthaginis et Numantiae pro Scipione*. Praeterea etiam in Turic. scriptum est *antonomasiam diceris*. — VIII, 2, 8. *Interrogamus etiam, quod negari non potest*. — 9. *Heu quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt Accipere?* et 10. *Et quisquam numen Iunonis adorat?* ut apud Vergilium legitur. — 15. *Cui dicens est, cum alium rogaveris, non expectare responsum sed statim subicere*.

Index locorum emendatorum.

I, 6, 1.	p. 14.	III, 2, 95.	p. 10.	V, 7, 23.	p. 13.	V, 10, 56.	p. 20.
— 10, 30.	p. 30.	— — 109.	p. 17.	— — 26.	p. 13.	— — 57.	p. 20.
III, Prooem. 6.	p. 32.	— — 110.	p. 14.	— — 27.	p. 14.	— — 57.	p. 22.
— 1, 8.	p. 5.	— — 111.	p. 28.	— — 29.	p. 11.	— — 58.	p. 11.
— — 11.	p. 32.	— — 120.	p. 32.	— — 31.	p. 14.	— — 58.	p. 22.
— — 13.	p. 32.	— — 125.	p. 10.	— — 34.	p. 10.	— — 64.	p. 15.
— — 18.	p. 16.	— — 125.	p. 33.	— — 35.	p. 11.	— — 65.	p. 23.
— — 19.	p. 21.	— — 127.	p. 10.	— — 36.	p. 9.	— — 66.	p. 23.
— — 31.	p. 21.	— 3, 9.	p. 33.	— 8, 3. 4.	p. 14.	— — 69.	p. 23.
— — 36.	p. 21.	— — 10.	p. 21.	— — 6.	p. 9.	— — 73.	p. 23.
— — 42.	p. 16.	— — 12.	p. 33.	— 9, 3.	p. 10.	— — 76.	p. 16.
— — 45.	p. 9.	— 4, 9.	p. 11.	— — 3.	p. 17.	— — 76.	p. 24.
— — 46.	p. 10.	— 5, 1.	p. 10.	— — 6.	p. 10.	— — 80.	p. 24.
— — 46.	p. 11.	— — 4.	p. 17.	— — 8. 9.	p. 19.	— — 82.	p. 10.
— — 49.	p. 32.	— — 14.	p. 11.	— — 12.	p. 9.	— — 82.	p. 24.
— — 56.	p. 32.	— — 14.	p. 10.	— 10, 1. 2.	p. 19.	— — 88.	p. 24.
— — 64.	p. 32.	— — 17.	p. 20.	— — 2.	p. 11.	— — 89.	p. 24.
— — 65.	p. 9.	— — 26.	p. 10.	— — 7.	p. 29.	— — 90.	p. 16.
— — 67.	p. 32.	V, Prooem. 1.	p. 5.	— — 8. 9.	p. 19.	— — 94.	p. 24.
— — 72.	p. 9.	— — 3. 4.	p. 6.	— — 10.	p. 15.	— — 102.	p. 21.
— — 74.	p. 16.	— — 5.	p. 9.	— — 10.	p. 19.	— — 105.	p. 29.
— 2, 36.	p. 11.	— 4, 2.	p. 10.	— — 15.	p. 10.	— — 109.	p. 25.
— — 36.	p. 32.	— 5, 1. 2.	p. 10.	— — 17.	p. 19.	— — 110.	p. 16.
— — 42.	p. 10.	— 6, 2.	p. 11.	— — 22.	p. 16.	— — 115.	p. 25.
— — 45.	p. 10.	— — 3.	p. 9.	— — 23.	p. 10.	— — 123.	p. 25.
— — 46.	p. 10.	— — 3.	p. 11.	— — 24.	p. 15.	— — 125.	p. 25.
— — 55.	p. 16.	— 7, 8.	p. 16.	— — 29.	p. 29.	— 11, 3.	p. 25.
— — 57.	p. 9.	— — 9.	p. 11.	— — 31.	p. 10.	— — 6.	p. 11.
— — 59.	p. 32.	— — 11.	p. 9.	— — 37.	p. 19.	— — 9.	p. 10.
— — 61.	p. 10.	— — 12.	p. 9.	— — 41.	p. 10.	— — 10.	p. 27.
— — 68.	p. 11.	— — 13.	p. 9.	— — 41.	p. 19.	— — 11.	p. 16.
— — 74.	p. 10.	— — 14.	p. 9.	— — 44.	p. 15.	— — 13.	p. 27.
— — 80.	p. 32.	— — 16.	p. 12.	— — 47.	p. 15.	— — 16.	p. 27.
— — 89.	p. 32.	— — 18.	p. 12.	— — 54.	p. 9.	— — 18.	p. 10.
— — 90.	p. 21.	— — 21.	p. 13.	— — 54.	p. 20.	— — 18.	p. 11.

V, 11, 22.	p. 27.	V, 13, 51.	p. 32.	VI, 1, 36.	p. 14.	VI, 3, 110.	p. 11.
— — 23.	p. 9.	— — 54.	p. 21.	— — 43.	p. 28.	— 4, 13.	p. 11.
— — 23.	p. 10.	— — 56.	p. 32.	— — 47.	p. 19.	— — 22.	p. 17.
— — 23.	p. 27.	— — 59.	p. 32.	— — 51.	p. 10.	— 5, 5.	p. 34.
— — 24.	p. 27.	— — 60.	p. 21.	— — 52.	p. 11.	VII, 1, 23.	p. 6.
— — 28.	p. 10.	— 14, 17.	p. 33.	— 2, 4, 5.	p. 10.	— — 48.	p. 17.
— — 32.	p. 28.	— — 19.	p. 29.	— — 6.	p. 17.	— 5, 3.	p. 15.
— — 35.	p. 28.	— — 20.	p. 14.	— — 7.	p. 10.	VIII, Prooem. 30.	p. 12.
— — 36.	p. 11.	— — 20.	p. 33.	— — 10.	p. 12.	— 2, 19.	p. 21.
— — 43.	p. 28.	— — 22.	p. 33.	— — 14.	p. 33.	— 3, 14.	p. 29.
— 12, 11.	p. 28.	— — 28.	p. 33.	— — 16.	p. 31.	— — 52.	p. 34.
— — 11.	p. 29.	— — 30.	p. 16.	— — 18.	p. 13.	— — 68.	p. 21.
— — 14.	p. 28.	— — 32.	p. 34.	— — 27.	p. 14.	— — 79.	p. 29.
— — 16.	p. 29.	— — 33.	p. 33.	— 3, 7.	p. 33.	— 6, 37.	p. 13.
— — 23.	p. 29.	— — 35.	p. 34.	— — 9.	p. 19.	— — 37.	p. 34.
— 13, 1.	p. 29.	VI, Prooem. 3.	p. 33.	— — 24.	p. 27.	— — 40.	p. 34.
— — 3.	p. 29.	— — 13.	p. 11.	— — 28.	p. 20.	— — 43.	p. 34.
— — 4, 11.	p. 21.	— — 16.	p. 21.	— — 35.	p. 11.	VIII, 2, 8.	p. 34.
— — 13.	p. 30.	— 1, 3.	p. 11.	— — 38.	p. 30.	— — 9, 10.	p. 34.
— — 14.	p. 9.	— — 6.	p. 10.	— — 41.	p. 14.	— — 15.	p. 34.
— — 14.	p. 31.	— — 14.	p. 33.	— — 59.	p. 14.	— 3, 43.	p. 10.
— — 19.	p. 31.	— — 18.	p. 17.	— — 73.	p. 14.	— — 56.	p. 10.
— — 23.	p. 16.	— — 19.	p. 17.	— — 80.	p. 33.	— — 74.	p. 5.
— — 33.	p. 31.	— — 20.	p. 17.	— — 83.	p. 11.	X, 1, 10.	p. 9.
— — 38.	p. 31.	— — 27.	p. 10.	— — 94.	p. 11.	— — 35.	p. 9.
— — 41.	p. 31.	— — 28.	p. 10.	— — 99.	p. 11.	— 6, 4.	p. 30.
— — 44.	p. 31.	— — 31.	p. 21.	— — 100.	p. 11.	— 7, 3.	p. 5.
— — 50.	p. 31.	— — 32.	p. 32.	— — 107.	p. 11.	XI, 1, 77.	p. 29.
Cassiodorus de rhet.	p. 502, 37.	p. 33.					